te

ol: I

W Krucyfix

NB: List X. Gołębiewskiego

IMPROVIDUS
SUIS DOGMATIBUS
Sacram Scripturam devaſtans, Rectam Rationem, & Semetipſum evertens
LUTHERANISMUS.

OMNIBUS
CHRISTIANAM VERITATEM AMANTIBUS
EXHIBITUS,

PER
R. P. MARTINUM KREYSSEL
SOCIETATIS JESU.

BRUNSBERGÆ
TYPIS COLLEGII SOCIETATIS JESU
ANNO SALUTIS M.DCC.XII.

PERILLUSTRI & REVERENDISSIMO

DOMINO D. T. FRANCISCO CZAPSKI

ABBATI PEPLINENSI.

DOMINO & MECÆNATI FAVENTISSIMO.

IN hostes Arma expedio, seu veriùs suis illos armis aggredior; proindéque Spectatorem, Patronū, & Mecænatem Te exambio PERILLUSTRIS, & REVEREN: ABBAS; cui perbellè novi ejusmodi Certamina,

& in uſu eſſe, & probari. Ità nempe & à Magnis Progenitoribus derivata luce, & in ea, quam prenſas honoris auge conſtitutus, radios, ſolis inſtar ſpargis, ut quocunque deflectas, vitiorum umbris, ac teterrimis, plùs quàm Ægyptijs Hæreſum noctibus interitum moliaris. Nunquam enim Virtus non diſſidet ab improbitate: nunquam claritudo Generis, Pietatis igniculis ſociata, non umbratiles, & Noctuarum propiores animos, luce ſua ferit: nec in Te. Inhæres Majorum Tuorum veſtigijs: Succeſſio hæc in Te eſt, non pulcher caſus; & Hæreditarium,

um, esse bonum. Liceat ab Urna, & fatis evocare Parentem Tuum, Virum ævi sui facilè summum, in Curia Catonem, Pium Theodosium in Toga, in Sago Martem. Par illi servandorum limitum cura, utpote magno Succamerario incubuit, ac sese intra modestiæ terminos, ac Divinorum Oraculorum, vicariæque Numinis potestatis effatorum cancellos continendi. Princeps ille Nobilitatis fuit, & *Princeps* *Genesis 26. v. 3.*
DEI. Occupârunt magni Parentis gloriam, ceu duo Fulmina belli Scipiadæ, Illustrissimi Fratres Tui REVERENDISSIME DOMINE,

natu Majores, meritis in Prussiam Maximi, in Patriam plùs, quàm dici possit vel à disertissimis. Senatorias Curules, hic Elbingensem, Crusvicensem ille, jam & Culmensem, rectè factis implevêre; sed nondum explevêre ambientium illos Fascium desideria: quibus si tam facilis ad Modestiam Senatorum pateret aditus, quàm se penetrant, jam nihil Vobis augustius dare possent ipsi Reges. Jam si Patruos, si longam Fratrum seriem, si Nepotum Catalogum texere velim, ingens exercitus consurgat, necesse est: *Sed tot probati, quot geniti.* Si affinitates, & prima-

Cassiodorus.

rum

rum in Prussia, Poloniaq; stirpium nexus evolvere mens esset, fateri cogerer. *Fascibus insignes, & legum culmine fultas conveniße Domos: & qui lectißimus Orbi sangvis erat.* Claudianus.
Sed jam Te ipsum propiùs intueri libet PERILLUSTRIS, ET REVERENDISSIME ANTISTES, vultibus Tuis inhærere, Virtutibus immorari. Easdem Cunas Tecum sortita est Probitas; crevistis pariter, Tu in Virtute, illa in Te. Enatabas ad firmiorem ætatem ex pueritia? Jam grande decus, columenq; Lycæis nostris accessisti: annos prævertere, spes universorum de Te vincere studebas, & vicisti. Mox Academi

demiumbras Divina illa Ingenij Tui luce ità ſerenâſti, ut non plùs luminis vel à meridianis Solis radijs ſperari potuiſſet. Verùm ſi nobilis ille Philoſophorum anteſignanus Ariſtoteles nobilior evaſit Alexandro Macedone Diſcipulo Magiſter, par felicitas, par gloria quoque mea eſt, quòd olim in Philoſophia Tuus Magiſter cenſerer, cùm egregia indoles Tua moræ impatiens, ex Diſcipulo, quin ex merito, Te quoque fecit Magiſtrum Academiæ. Nec tantùm ſcientiâ anteſtabas alijs, parem Virtutem Doctrinæ ſociâſti, quam Mariana Sodalitas in Te mirata

rata eſt, ac venerata, poſtquam repetitis vicibus Te ſuum dixit Præſidem, hoc eſt, *inter ignes Lunam minores.* Hæc Tu agis. Vix octavum ſupra decem emenſus annum, cùm Superûm conſilio, & Numinis Tibi ſemper propitij curâ, in partem curarum, ac Abbatiæ Peplinenſis conſortiũ legeris Coadjutor. Quantùm hìc Claræ licèt Valli, ejuſq; Sacerrimo Ordini acceſſit Luminis! poſtquam in illum ultra Nominis, Generiſq; ſplendorem, ultra Virtutum ſupra immaturam ætatem Jubar; avitam quoq; Cynthiam Tuam, ipſiúsmet Solis æmulam, intuliſti, ac unà Tecum *cum tot Sideribus cœlum* *Horatius*

Statius. *requievit in illo*; ut jam non inter homines, ſed inter Aſtra habitarent. Tu interim Tyronem te Sacerrimæ Ciſterciensiũ Religionis nominabas, in quã Veteranam Virtutem intuliſti. Quis verò hìc certantis de Te Infulæ ſtudia referat? Quantùm gemmis etiam ſe gravari ſenſit, donec fronti tuæ ſe imprimens, Virtutes etiam ante Tiaram Præſuleas coronaret, Teq; Succeſſore major redderetur. Jam ſanctius pedum pedibus tuis ſeſe advolvebat, quaſi metu perculſum, nè illi, quia nondum manus implere dabatur, manum ſubtraheres; nec tam ſolo, quàm admiratione defixus Ponti-

tificius ille Scipio lentos culpabat Superos ſuamq; damnabat extra tuas manus felicitatem. Sed tandem ſucceſſiſti bono, optimus: & poſtquam animos omnium prior occupâſti, tū & Præſuleam dignitatem. Hìc jam non tam Infulæ, quàm curis verticē ſubmiſiſti; nec artus vividos Præſuleo baculo fulciebas, ſed templorum ruituram vetuſtatem, ac morum, ſi qua parte collaberentur, ruinas. Crucem Præſuleam jam pridem in animum religioſiſſimè admiſſam, tandem & pectori admoviſti, idq; idcirco, quòd Crux eſſet, non quòd Præſuleæ Index dignitatis. Nec deſes marceſcis

PRÆSUL REVERENDISSIME inter quieſcẽtes in Domino Abbates Peplinenſes conſtitutus. Quieſcunt illi, ſed tu vigilas (ùt pro Philippo Antipater) Abba Pater. Reddis in te uno tot Præſulum , quibus ſucceſſiſti Virtutes, reddis exempla immortalia, ut nullus ambigat , aut neminem aliũ, aut te magnis Abbatibus ſuccedere debuiſſe. Quis non admiretur Majeſtatem vultûs tui comitate temperatam, ſeveritatem lenitati permiſtã; in conclavi pacatus, in ſacris exedris fulminator Pericles, in Eloquentiæ ſuavitate Bernardus, ac idem ipſe es ubiq;. Et jam pronum eſſet conjicere,

re, quid Te Antistes meritissime maneat in Ecclesia, exspectet in Republica: concluderē ego, nisi obstaret verecundia tua, ruborq;; cui nihil vicinius est purpurâ. Interim non ex meo sensu (nè injurius videar in modestiam tuam) sed Prussiæ, quin & Poloniæ totius voce, quæ mentiri nescit, & tam procul est ab assentatione, quàm procul à necessitate, loquor. Parant Virtutibus tuis Superi grandiores tiaras, præclaris dotibus (quæ etiamsi Infulæ deessent, & famam haberent, & laudatores:) eminentiores, quin & eminentissimas destinant Curules in præmium me-

 ritò

ritò coronandæ Virtutis. At quorſum hæc? Idcirco memoravimus, ut pateat, tam Illuſtrem Antiſtitem, aliàs *Sidus beneficum, ad quod certatim univerſi concurrunt,*
Seneca. Hæreſum monſtris labem inurere ſueviſſe, eſſeq; illis *fatale malum, fulmenq́; quod*
Lucanus *omnes percuteret pariter populos, & ſidus iniquum gentibus,* quæ in Matris Eccleſiæ jugulum intentæ, ferire non poſſunt. Totus lux eſt, ubi umbras Soli Juſtitiæ offundit iniquitas; totus Ignis, ubi *refrigeſcente Charitate multorum,* noxium gelu circum præcordia ſerpit, & Cor occupat.
Matth. c. 24. Teneo memoriâ, ut plùs, quàm ſepticeps Hydra Sectariorũ Herculem te vindicem ſenſit glorioſiſſime Præſul, dum Philoſophiæ me Præſide dares

OPE-

operam: porrecta enim à me, à tuis obsequijs non nemini annotanda Tractatûs Controversi Puncta, ipsemet arrepta occasione, & calamo, totum æstimatissimo labore, ac zelo in paginam transfudisti; ut vel sic jam tum funderes hostes, perversa proscriberes dogmata, expungeres calamo nefaria commenta, gloriosus etsi non armorum, certè animorum Triumphator. Ac proinde non abhorrebit humanitas tua PERILLUSTRIS, ET REVERENDISSIME DOMINE ab hujus pugnæ, in quam hostes elicio, spectaculo, quo ipsémet innocentissimo licèt animo, frui amas ad delicias. Quã-

quam certamina hæc ipſimet hoſtes conficient, ſuis armis incurrent, ſuâ cadent manu: non aliter ac incendiarius ille Orbis Phàéton in Terrarum exitium, ſuumque Aſtris invectus, nunquam ſatis deplorato caſu ſenſit, & Orbem univerſum in flãmas, & ſe è vivis abijſſe. Interim ego, dum ad deſtinata mihi prælia felix omen à Cruce Præſulea indubitatè polliceor, *tutus ſub imagine Patris*, deſcendo in arenam. *Ovidius.*

PERILLUSTRIS & REVERENDISSIMÆ
DOMINATIONIS VESTRÆ

Servus Obſequentiſſimus

MARTINUS KREYSSEL
Societatis JESU.

A. M. D. G. B. V. SS. PP. H.

Ad benevolum Lectorem.

P*Lurimi jam innumera pænè Lutheranismo inflixêre vulnera, quibus lethaliter depositus, tamen spirat, partim ipsis vulneribus saniora doctus sapere, partim violentis Fautorum, ac Medicorum suorum præsidijs suffultus, nè exspiret. Postquam enim advertit, non pauca Dogmata, cum quibus eum suus Author, Germaniæ (si Dijs placet) Propheta, in perniciem Christianæ rei, in detrimentum Orthodoxæ Fidei, in perturbationem pacis, & tranquillitatis Ecclesiæ, primò in lucem ediderat, nequaquam posse subsistere, in alia, & alia non semel commutavit, ut tot Novatorum scripta testantur. Adeò, ut, dum Progenitoris sui authoritate premitur, nihil frequentiùs audias, quàm:* Nihil sibi cum Luthero esse: hominem fuisse, errare potuisse: nec ab ipso recipere, nisi quæ sacris literis

consona sunt. *Contra quem, etiam hac opinione persuasum, quasi sua Dogmata Divinis eloquijs consonent, varijs machinis orthodoxi Scriptores in aciem prodierunt, quibus eum falsæ existimationis gloriosè convicerunt. His ego me, & ingenio, & eruditione, longè inferiorem libens confiteor, palmamq; eripere adeò non contendo, ut nè catalogo quidem eorum accenseri velle præsumam, aut aliquid eorum Operibus simile in lucem proferre ambiam. Cæterùm quia mihi contra hoc monstrum (nam ex dissonis antiquarum hæresum erroribus conflatum) occurrit arietandi modus, suis nempe proprijs telis illud invadendi, hoc est, Dogmatibus suis ipsum subruendi, hunc tibi Lector benevole sequentibus pagellis propono. Videbis, quàm illis admißis, sacra Scriptura impiè devastetur, quàm turpiter, recta ratio evertatur, quàm fortiter demum sémet ipsum Lutheranismus Dogmatibus suis in ruinam agat præcipitem. Adeò ut non meliùs, quàm ex suis principijs finem consequi, non gloriosiùs, quā se ipso everti, vix deniq; consultiùs, quàm suis telis occumbere posse videatur. Id si propositum opus, quantum de se, satis efficaciter præstare perspexeris, gratias Auctori Orthodoxæ Fidei, ac Eversori hæresum Ter Optimo Maximo Numini, unà mecum ages. Sin minùs, conatum saltem æstimabis, & inventis, acutiora, & fortiora ad hunc finem, de tui ingenij penu subministrabis. Quod si in decursu arietationis quædam acriùs agi conspexeris,*

ignor-

ignosces. In assultibus enim, & prælijs, non aliter fieri assuevit. Ut aliquid in ruinam agatur, machinis impetus excipiat, ac vulnera ferat, est necesse. Quanquam religiosum calamum intra modestiæ limites ità continere conabor, ut absque necessitate neminem tangat; nè se quispiam innocenter læsum, aut ad justam indignationem provocatum, conqueratur. Eò unicè collimabit, ut propositum incorruptis arbitris efficaciter demonstret. Vale.

Approbatio Loci Ordinarij.

IMPRIMATUR.

CHristophorus Antonius Szembek V. J. D. Gnesnensis, Varmiensis Canonicus, Vicarius in Spiritualibus & Officialis Gedanensis ac per Pomeraniam Generalis.

Facultas Reverendi Patris Præpositi Provincialis Societatis JESV per Poloniam.

CUM Opus, quod inscribitur: Improvidus Lutheranismus se ipsum evertens, à Patre Martino Kreyssel Societatis nostræ Theologo, Latino, & Germanico Idiomate conscriptum, ali-

quot ejusdem Societatis Theologi recognoverint, & in lucem edi posse probaverint, potestate mihi facta ab Admodum Reverendo Patre Nostro Michàéle Angelo Tamburino Societatis præfatæ Præposito Generali, facultatem concedo, ut typis mandetur, si ijs, ad quos pertinet ità videbitur. Cujus rei gratiâ, has literas, manu mea firmatas, Sigilloque munitas dedi.

Tacżanovi 30 Julij. Anno 1710.

(L. S.) ADRIANUS MIASKOWSKI SOCIETATIS JESU.

DOGMA I.

Sacra Scriptura, quò ad Articulos Fidei, & mores Christianos formandos, clara, & perſpicua eſt: ac proindè à quolibet, ipſâ bene utente, facilè intelligi poteſt.

LUtheraniſmi hoc eſſe Dogma, nihil certius. Illô conatur evertere quoſdam Fidei, & morum Articulos Eccleſiæ Catholicæ, in Scripturis Sacris non clarè, ac perſpicuè contentos. Porrò per bonum Scripturæ S. uſum, non aliud videtur intelligere; quàm lectionem ejuſdem eô animô, ut Lector in fidei articulis confirmetur, & in moribus Chriſtianis inſtruatur. Siquidem S. Scriptura, ſola eſt Regula fidei, & morum Lutheraniſmo. Habetur Dogma in Probat: Papatûs D. Samuelis Schelvigij, Germanico idiomate edita, cap. 1. de Sacra Scriptura. Eô admiſſô, non obſcurè S. Scriptura devaſtatur, & ſemet ipſum improvidè evertit Lutheraniſmus. Nam ex illo

Infertur *1mo.* Ergo fruſtra Apoſtolus ad Epheſios Cap. 4. v. 11. aſſerit: *Chriſtum dediſſe* (in Eccleſia) *quoſdam Paſtores, & Doctores ad conſummationem Sanctorum in opus miniſterij, & ædificationem Corporis ſui.* Omnes enim, qui ſacrâ ſcripturâ bene utuntur (ùt ſupponimus de omnibus Lutheranis) poterunt eſſe Paſtores, atq; Doctores. Nam quilibet poterit ſe ipſum Verbo Dei paſcere, & docere, abſque ullo metu, nè alicubi à recto tramite aberret. Siquidem Sacra Scriptura clara eſt, & perſpicua quò ad articulos fidei, & Chriſtianorum mores formandos:

quæ duo solùm, ad consummationem Sanctorum, & ædificationem Corporis Christi, sunt necessaria ex Scripturis Sacris.

Infertur *2do* Ergo etiam Regio Vati clara, & perspicua fuit S. Scriptura quò ad articulos fidei, & morum, in lege Moysis contentos: nec in illa intelligenda ullam difficultatem expertus est. Nam ùt Propheta bene Scripturâ utebatur, quæ bene illâ utentibus, clara, perspicua, & facilè intelligibilis est. Atqui hoc dicere, devastat Scripturam S. Præfatus enim vates DEum orat Psalm. 118. v. 18. *Revela oculos meos, & considerabo mirabilia de lege tua.* Et iterum: *Da mihi intellectum; & scrutabor legem tuam.* Ibid. v. 34. Præterea v. 73. *Da mihi intellectum, ut discam mandata tua* Et 135. *Faciem tuam illumina super servum tuum, & doce me Justificationes tuas.* Quas preces non fudisset, si ipsi lex, & justificationes clarè in S. Scripturis patuissent.

Infertur *3tio.* Ergo non est necesse scrutari S. Scripturas etiam idiotis, ac indoctis: cùm tamen illam Christi sententiam: *Scrutamini Scripturas.* Joan. 5. v. 39. vim præcepti habere contendat Lutheranismus: vúltq; obligari quemlibet ad veritatem in illis inquirendam. Ratio illati est: quia *scrutari*, hoc loco significat, non tantùm simpliciter legere, sed diligenter inquirere in eo, in quo multa abstrusa, & occulta latent, quæ accuratiore consideratione egent. Si autem S. Scriptura quò ad fidei articulos, & mores Christianos, clara, & perspicua est, & à quolibet ipsâ bene utente, facile intelligi potest, nulla scrutatione, id est, nulla diligenti inquisitione, aut accurata consideratione in illa legenda opus erit: nam à quolibet etiam indocto facilè intelligetur, saltem quò ad articulos fidei. V.G. facilè quilibet intelliget, DEUM esse unum in Essentia, trinum in Personis: Filium esse consubstantialem Patri: Spiritum S. procedere etiam à Filio: sub qualibet particula panis consecrati, & sub qualibet gut-

ta

ta Calicis, totum Christum à quolibet sumi &c. &c. qui articuli multa negotia doctissimis facessunt. Et quia non claré in Scripturis S. continentur, multos, in errores præcipitarunt.

Infertur *4to.* Ergo etiam ille Eunuchus Candacis Reginæ, Actor. c. 8. Isaiam de Christo legens, facilè intellexit S. Scripturam à Philippo Christi Apostolo interrogatus: *Putásne intelligis, quæ legis?* v. 30. Falsoq; respondit: *quomodo possum* (intelligere) *si non aliquis ostenderit mihi?* Nam locus ille, quem legebat, articulum fidei de Christo Domino continebat. Si ergo non intellexit absq; interprete, esto Scripturâ S. bene uteretur, siquidem fidelis erat, atq; timens DEum, Dogma Lutheranismi Scripturam S. & se ipsum subruit.

Infertur *5to.* Ergo Epistolæ S. Apostoli Pauli, in quibus tractat de Prædestinatione, de Conciliatione gratuitæ Justificationis cum necessitate operum, de Justificatione Fidei, de Infectione Carnis per inobedientiam, de transmissione peccati Originalis, de Sacerdotio Mechisedech, de Libertate Christiana cum obligatione observationis Præceptorum DEi &c. &c. sunt facilè intelligibiles quò ad hos fidei articulos. Si ita est: ergo S. Petrus Apostolus easdem indigitando Epist. 2. cap. ultimo v. 16. falsò asserit: *In quibus* (id est S. Pauli Epistolis) *sunt quædam difficilia intellectu*, adeò ut etiam *ab indoctis depraventur sicut & cæteræ Scripturæ*; quas scilicet propter obscuritatem non intelligunt. Si enim perspicua, & clara est S. Scriptura quò ad fidei, & morum doctrinam, quomodo difficilia intellectu continent Epistolæ S. Pauli, quæ ab indoctis depravantur.

Infertur *6to.* Ergo Patres, & Ecclesiæ doctores frustra scripserunt tot volumina, quibus articulos fidei, & morum Christianorum, in S. Scriptura, contentos, illustraverunt. Sufficit enim S. Scriptura, quæ juxta Lutheranismi dogma, quò ad hæc omnia, clara

clara eſt, & perſpicua. Gratis Lutherus, cum ſuis aſſeclis plurima volumina congeſſit, quibus S. Literas explanare, & fidei, ac morum articulos explicare conatur. Hi enim clarè, & perſpicuè habentur in Scripturis SS, juxta allatum dogma.

Infertur. *7timo.* Ergo fruſtra controvertebatur toties cum Novatoribus de articulis fidei: fruſtra convocabantur Concilia, etiam generalia ad determinandas lites, quæ in fidei, ac morum doctrina toties occurrebant: fruſtra antiqui Patres contra hæreticos diſputârunt, & latentes in Scriptura S. fidei articulos laboriosè eruerunt. Si enim hæc omnia clarè, & perſpicuè in S. Scriptura habentur, facilè Novatores poterant erroris convinci. Quis namq; res claras, & perſpicuas in controverſiam prudenter vocat? Et tamen oppoſitum videmus factum, & hactenus fieri etiam in ipſo Lutheraniſmo, qui toties contra adverſas ſibi doctrinas, quæ in ipſomet ſæpiùs pullulant, Synodos celebrat, Universitates, & Doctorum Senatus conſulit: cui tamen per claritatem S. Scripturæ tenebras ſuas adeo non diſſipant, ut jam pridem ultra ducentas Sectas ſub pallio Auguſtanæ Confeſſionis, quidam numeraverint; & noſtro ævo facilè triginta exhiberi poſſent: procul dubio indè ortas, quia earum authoribus oppoſitum doctrinæ ſuæ non clarè, non perſpicuè in S. Scriptura patet.

Infertur *8vo.* Ergo cæci, jam tot annis inter ſe ipſos hoſtiliter litigant Reformatores Eccleſiæ de Prædeſtinatione, de Cauſa peccati, de Euchariſtia &c. Si enim clara, & perſpicua eſt S. Scriptura quò ad articulos fidei, clarè igitur etiam iſtos continet, de quibus altercantur. Si ità eſt, ùt Dogma aſſerit, ut quid de illis calamos tot ſcriptis, lingvas tot litibus fatigant? Cur ſe invicem hæreſeos, & errorum accuſant? Cur una ſecta alteram, immò ejuſdem ſectæ Doctor, alterum condemnat? Perperam igitur Proteſtantes de ſola Juſtificatione viginti diverſiſſimas ſen-

tentias

tentias ex S. Scripturis deprompserunt, ùt Osiander in Apologia testatur. Perperam illa Christi Verba: *Hoc est Corpus meum: Hic est sangvis meus*, Matth. 26. in ducentos diversos sensus, ijdem non tam explicaverunt, quàm torserunt. Si enim S. Scriptura clara, & perspicua est, quo ad articulos fidei, cæci necessariò sunt, qui tum has, tum aliàs ejusdem sententias, fidei articulos continentes, in tot discrepantes sensus torquent, cum ea animi satisfactione, ut quisque contendat suum esse legitimum Scripturæ sensum,& consequenter Fidei articulum. Cum tamen unius sententiæ, nonnisi unus legitimus sit sensus in ordine ad articulum Fidei constituendum.

Infertur *9no*. Ergo Lutherus in Præfatione Oper. in Psalmos, falsò ait: *Ignorare se, an legitimam habeat, nec ne, intelligentiam Psalmorum.* Et perperam ibidem, *impudentissimæ temeritatis*, eum arguit, qui profiteri audet vel unam Scripturæ S. Sententiam, à se in omnibus intellectam. Si enim clara est S. Scriptura, & à quolibet, saltem quo ad articulos Fidei, ac morum doctrinam, facilè intelligi potest, quomodo tantus Propheta, quintus (si Dijs placet) Evangelista, novus ille Isaias (quem se ipsũ compellat) Psalmorum intelligentiam legitimam sibi denegat, in quibus tot articuli Fidei Christianæ latent? Quomodo temeritatis, & quidem impudentissimæ arguit Pater illos filios, quibus vel unus locus Scripturæ, facilis intellectu videtur? An non ejus authoritas, Dogma, contrarium asserens, funditus evertit?

Infertur *10*. Ergo Cœtui Lutherano non sunt necessarij Prædicantes, ac Doctores: frustra conscendunt Exedras ad Conciones dicendas, quibus mores Christianos in Auditoribus forment: Meliùs enim ista præstabit S. Scriptura, quæ absque omni suspicione est purum DEI Verbum, & ad mores Christianos formandos clara, & perspicua creditur. Unde Prædicantium, aut

Doctorum interpretatione, quò ad hæc, non eget. Quodsi illiterati in Cætu inveniantur, neque hi Prædicatore indigebunt. Poterit enim illis Scriptura S. à Literatis prælegi, quam & ipsi facilè intelligent, cùm à quolibet, qui ea bene utitur, facilè intelligi possit.

Infertur *11.* Ergo frustra Prædicantes S. Scripturam suis glossis clarè explicare contendunt, sermones in longas horas protrahendo, ut articulos fidei, & mores Christianos ex illa proponant. Sufficiet enim bonum Scripturæ usum, seu lectionem ejusdem Fidelibus commendare: siquidem omnis, qui illâ bene utitur, facilè eam intelligere, atque ex illa fidei articulos, moresque Christianos percipere potest.

Infertur *12mo.* Ergo frustra Lutherani Prædicantibus solvunt stipendia pro concionibus, in quibus se Sacram Scripturam explanare, articulos fidei declarare, & mores Christianos formare, nec aliud, quàm purum DEi Verbum adferre protestantur. Totum enim quod dicunt, clarè, & perspicuè in S. Scriptura habet Lutheranus Cœtus; quam, ut Dogma asserit, quilibet homuncio facilè potest intelligere.

Infertur *13mo.* Ergo frustra fatigatur Cætus Lutheranorum adeundo Templa etiam rigente hyeme, ad audiendas Conciones Prædicantium. Poterit enim quilibet accepto sacro codice, quem domi reverenter servat, hoc ipsum, quod Prædicans dicit, sibi & suis in calido hypocausto prælegere, ac se ipsum Verbo DEi solari, in articulis fidei erudire, & in moribus Christianis instruere: siquidem quò ad hæc omnia, clara, & perspicua est S. Scriptura, & facilè potest à quolibet eâ bene utente intelligi: Nec Prædicans aliud præter purum DEi Verbum in Concionibus afferre credatur, quod stante Dogmate non indiget ejusdem declarationibus.

Infer-

Infertur *14mo.* Ergo nullus de Lutheranorum secta speciali titulo Magistri, aut Doctoris S. Scripturæ compellandus. Cùm enim S. Scriptura, quò ad intelligentiam articulorum fidei, & morum Christianorum (cujus gratiâ Magistrorum ac Doctorum titulis præcipuè insigniuntur Prædicantes) sit tam clara, & perspicua, ut eam quisq; facilè possit intelligere, quilibet igitur erit Magister, ac Doctor S. Scripturæ. Atque adeò Prædicantes cum injuria, & præjudicio reliquorum Lutheranorum hos titulos usurpant. Immò contra expressam Christi prohibitionem: *Nolite vocari Rabbi.* Matth. c. 23. v. 8. Et ibidem v. 10. *Nec vocemini Magistri.*

Infertur *15mo.* Ergo DEUM esse Trinum in Personis realibus, Christum esse Filium DEI consubstantialem Patri, & æqualem in omnibus quò ad Divinitatem, in eodem unã duntaxat esse subsistentiam, seu personam, sed duas voluntates, Spiritum S. procedere etiam à Filio, parvulos usu rationis carentes, baptisandos, ab hæreticis baptisatos non esse iterum baptisandos &c. &c. non sunt articuli fidei in Lutheranismo: Quia nusquam in Scriptura S. tam clarè, & perspicuè continentur, ut à quolibet eandem bona intentione legente, seu ùt Dogma loquitur, rectè eâdem utente, facilè deprehendi, & intelligi possint: quæ tamen, ùt Dogma asserit, quò ad articulos fidei, clara, & perspicua est. Profectò hanc claritatem non viderunt, qui contra relatos articulos impegerunt: Nec vident, qui hactenus impingunt, esto eâdem S. Scripturâ non minùs bona intentione utantur, atque Lutheri asseclæ: Nam æquè ad sua dogmata stabilienda, quæ non minùs vera arbitrantur, atque Lutheranismus sua, quamvis toto cœlo ab ijs sint diversa, utpotè contraria.

Infertur *16mo.* Ergo totum præfixum Dogma falsum est. Cùm enim sit fundamentale Lutheranismi, quo Tarditiones Di-

vinas, & Apostolicas, atque consensum Patrum in eruendis ex S. Scriptura Fidei articulis, morumq; Christianorum doctrinis, evertere conatur, necesse est, ut & ipsum sit articulus Fidei Divinæ à Deo in Scriptura S. revelatus in eademq; claré, & perspicuè contentus: siquidem ipsa, quò ad articulos Fidei clara, & perspicua est, & omnia continet, quæ ad Fidem Christianam necessaria sunt, ùt sequens Lutheranismi Dogma asserit. Atqui præfatum Dogma nusquam tam clarè continetur in Scriptura S. ut à quolibet eâ bene utente facilè deprehendi, ac intelligi possit: immò nè implicitè quidem, cùm etiam à præstantissimis Ecclesiæ Doctoribus per tot sæcula nusquam in ijsdem animadversum sit. Qui tamen fidei normam vel maximè inquirebant. Ergo necessariò falsum est, & se ipsum evertit.

DOGMA II.

Scriptura Sacra est perfecta, seu completa: & omnia in se continet, quæ ad Fidem, & vitam Christianam necessaria sunt: Hinc nullæ admittendæ Traditiones, utpotè ad utrumque non necessariæ.

DOgma præsens Lutheranismi esse nullus dubitat, qui novit, quantus sit hostis Traditionum Ecclesiasticarum. Habetur ijsdem terminis in citata Probat: Papatûs D. Schelvigij Cap. 1. Ex hoc contra illud ipsum

Infertur *imo.* Ergo Christus Dominus frustra dixit, & fecit multa, quæ in S. Scriptura non sunt consignata, ut testatur Joannes Evang. cap. 21. v. 15. Inutiliter dixit: *Multa adhuc habeo vobis dicere, sed quæ modò non potestis portare.* Joan. 16. Nam hæc quæ dicenda habuit, & postea dixit, non constat esse scripta. Illato oppo-

opponitur commune Doctorum axioma: *DEus, & natura nihil frustra faciunt.*

Infertur *2do.* Ergo tot Sacri Libri, quorum mentio fit in diversis S. Scripturæ locis, & Epistola ad Laodicenses si nunc exstarent, aut ex ruderibus eruerentur, si forsitan adhuc alicubi latent, non pertinerent ad S. Scripturam: nec contenta in illis essent Verbum DEi, quo Fides, & vita Christiana regulari posset. Jam enim sinè illis scriptis Sacra Scriptura est perfecta, & completa.

Infertur *3tio.* Ergo Symbolum Apostolicum ex Catechesi eliminandum: nec eo memoria parvulorum in scholis, aut Catechumenorum in Ecclesiis fatiganda. Hoc enim nusquam in Sacro Codice legitur: solâ traditione Apostolica illud possidemus, teste etiam Joanne Calvino lib. 2. Institut. cap. 16. §. 18. Nec prodest Lutheranismo, quòd in diversis S. Scripturæ locis per partes contineatur. Sunt enim aliqui ejus articuli, qui nusquam in Biblijs reperiuntur. V. G. *Descendit ad Inferos: Credo sanctorum Communionem.* Ergo qui hos articulos non crederet, utpote in S. Scriptura non contentos, adhuc omnia ad Fidem Christianam necessaria profiteretur; quod utiq; evidenter falsum est.

Infertur *4to.* Ergo S. Apostolus Paulus frustra commendavit Thessalonicensibus Epist. 2. cap. 2. v. 14. ut teneant Traditiones, quas *per sermonem* ab ipso acceperunt, seu didicerunt, & *à Scriptis*, clarè eodem loco distinxit. Absq; his enim perfecta est S. Scriptura, & omnia continet, quæ ad Fidem, & vitam Christianam sunt necessaria.

Infertur *5to.* Ergo non est celebrandus festivè dies Dominicus, Nativitatis Christi, Circumcisionis, Paschatis, Ascensionis, Pentecostes &c. Quia S. Scriptura nullibi celebrandos Chri-

ſtianis præcipit, vel ſuadet, ſed ſola traditione feſtos agunt. Quã ſi Lutheraniſmus reſpuit, meritò illi ex ſuo Calendario præfata, & alia feſta, quæ ſolenniter obeunt, eliminanda: ſiquidem S. Scriptura non præcipit, neq; ſuadet celebranda, quæ aliàs eſt completa, & omnia continet, quæ ad vitam Chriſtianam ſunt neceſſaria. Poſſunt itaq; Lutherani perfectam vitam Chriſtianam agere, etiamſi feſta illa Chriſtiana non celebrent, ſed omnes labores ſerviles tam domi, quàm ruri peragant.

Infertur *6to.* Ergo nullæ Eccleſiæ ædificandæ, ad quas Chriſtiani, devotionis, & peragendorum Divinorum gratiâ, conveniant. Quia de illis ædificandis nihil habet Scriptura; quæ tamẽ juxta Dogma, omnia continet quæ ad fidem, & vitam Chriſtianam ſunt neceſſaria: nec id exigit vel ad fidem, vel ad vitam Chriſtianam. Sola traditio hîc authoritatem habet; nec ſuperflua cenſenda eſt à Lutheraniſmo: aliàs omnia ſua Templa demoliatur eſt neceſſe, ſi vult, ut Dogma ſubſiſtat.

Infertur *7timo.* Ergo parvuli rationis uſu deſtituti, non ſunt baptiſandi. Quod enim baptiſentur, ſola traditione Apoſtolica habetur ipſo Patre Lutheraniſmi teſte in epiſtola contra Anabaptiſtas ad duos Parochos ità ſcribente: *Ex nulla ſententia Sacræ Scripturæ validè concluditur, Infantes rectè baptiſari. Nihilominus laudabiliter iſtud fit, quia à tempore Apoſtolorum in Eccleſia iſte mos viget.* Si ità eſt, præſens dogma ruit.

Infertur *8tavo.* Ergo Biblia non ſunt Verbum DEi. Quia illa eſſe Verbum DEi, ſolâ traditione conſtat. Quâ rejectâ, nihil reſtat, unde intentum Lutheraniſmus probet, & credat, hunc Codicem, quem Biblia vocat, eſſe Verbum DEi ſcriptum. Arcanum enim teſtimonium Spiritûs, & interna criteria, quæ ad diſcernendum Verbum DEi à quovis alio, quidam Lutheraniſmi defenſores afferunt, non ſunt revelationes Divinæ, quæ meritò

ritò omnes moveant ad aſſenſum fidei Divinæ, hunc Codicem eſſe Verbum DEi. Neq; in his ipſis conveniunt Diſſidentes ab Eccleſia Catholica. Nam aliquibus ſua criteria dictant, quoſdam libros eſſe verè DEi Verbum: aliis verò ſua oppoſitum ſuadent: quod utiq; non eſt Spiritûs Divini. Sic Epiſtolam S. Jacobi Apoſtoli eſſe Canonicam, ſuadent ſua criteria Calviniſtis, non verò Lutheranis. Sic Apocalypſim Joannis Apocripham cenſet Lutheranus & Calvinus, quam tamen Canonicam prædicat Beza, Menno Haneken, atq; alij moderni Calviniſtæ, & Lutherani, ut teſtatur Adamus Burchaber in ſua Theologia Polæmica Controv. 2. num. 19. De Epiſtola S. Pauli ad Hebræos hactenus apud illos ſub Judice lis eſt. Ergo non admiſſis Traditionibus, non poteſt Fide Divina credi, Biblia eſſe verum DEi Verbum.

Infertur *9no.* Ergo præfixum Dogma ſe ipſum evertit. Nam ut ſubſiſtat, debet etiam ipſum in S. Scriptura contineri; & quidem juxta Dogma præcedens, clarè, & perſpicuè. Quia abſq; illo non eſſet perfecta, atq; completa Scriptura S., utpote abſq; tam neceſſario articulo contra Traditiones Eccleſiæ, quas ſuperfluas, ac rejiciendas cenſet. Atqui in totis Bibliis nuſquam reperitur non tantùm clarè, & perſpicuè, ſed neq; implicitè. Ubi enim? Argutiæ, & ſequelæ, quas afferunt ejuſdem Patroni ex quibuſdam locis S. Scripturæ ad illud ſtabiliendum, non ſunt Verbum DEi clarum & perſpicuum. Neq; demonſtrant ex aliquo S. Scripturæ verſu, eas ex allatis ſententijs legitimè inferri: multò minùs Dogma ex illis infallibili Fide Divina conſequi. Ergo non ſubſiſtit.

DOGMA III.

Absq; consensu Voluntatis, & cum ignorantia Legis committitur Peccatum æterna damnatione dignum.

PRæsens Lutheranismi Dogma totidem verbis complexus est D. Schelvigius in Probat: Papatûs cap. 5. agens contra Catholicam Sententiam, quæ ad omne peccatum Theologicum, legis notitiam, & consensum voluntatis requirit. Illo admisso

Infertur *imo.* Ergo peccatum actuale non est voluntaria, ac libera transgressio Legis Divinæ. Si ita est: ergo frustra Prædicantes dehortantur suos à transgressione Legis Divinæ. Peccatum enim, seu transgressio legis non est in arbitrio hominis, siquidem non est voluntaria; & nolente, ac inscio homine incurritur ad pœnam æternam. Immò frustra DEUS per Prophetas, & Apostolos à peccatis deterret etiam ex ea ratione, quia mortem, & damnationem æternam causant, & *qui talia agunt Regnum DEI non possidebunt.* Frustra Apostolus Corinthijs 1. cap. 15. v. 34. dicit: *Nolite peccare;* Frustra Christus illi ab infirmitate sanato Joan. cap. 5. dixit: *Noli peccare.* Si enim peccatum non est libera, & voluntaria transgressio præcepti, frustra dicitur: *Noli, Nolite* peccare. Hæ enim & similes dehortationes voluntati, & libertati humanæ ideò inculcantur, ut se à transgressione Legis Divinæ contineat.

Infertur *2do.* Ergo ille, cui fax accensa ad manum alligatur cum qua ductus ad struem lignorum, eâdem absq; consensu voluntatis suæ ligna incenderet, reus esset damni consecuti, & consequenter ob concrematam ex hac occasione urbem, peccatum æterna morte dignum commisisset. Quod affirmare, an non est rectam rationem evertere? Id tamen fit, si præfixum Dogma subsistit

Infertur *3tio.* Ergo ille, cui per vim fortis infusus est potus, quo nolens inebriatus est, vel quem voluntariè quidem bibit, sed ignoravit tantam vim unius, aut alterius haustûs ad inebriandum, peccatum æterna damnatione dignum commisit, estq; de numero eorum, de quibus S. Paulus asserit: *Neq; ebriosi Regnum Dei possidebunt.* Item Virgo contra voluntatem suam violata, est rea peccati æternâ pœnâ digni. Præterea ille, qui nolens, & ignorans venenum bibit, & se ipsum interemit: Et qui bombardam casu explosit, & nolens hominem occidit: Cùm etiam sinè consensu voluntatis committitur peccatum æterna damnatione dignum. Sanè nova hæc Theologia, homines peccare nolentes ad æternam damnationem compellens, nullo rationis, nullo Scripturæ S. suffragio fulta, quæ toties contra *nolentes* servare legem, & ei *resistentes &c.* conqueritur.

Infertur *4to.* Ergo etiam mente captus, & usu liberi arbitrij destitutus, si quid contra DEI præcepta committit, v. g. Si DEUM blasphemet, si quempiam occidat, facinus æternâ pœnâ dignum committit: Nam sinè consensu voluntatis liberæ tale peccatum committitur, ùt Dogma docet: cùm tamen tales etiam temporali pœnæ jura non subjiciunt.

Infertur 5*to.* Ergo Sanctus Apostolus Paulus Rom. 6. v. 12. frustra hortatur: *Non regnet peccatum in vestro mortali corpore, ut obediatis concupiscentijs ejus.* Si enim committitur sinè consensu libero voluntatis nostræ, quomodo prohibebo nè regnet? Cùm hæc prohibitio à sola negatione consensûs voluntatis pendeat. Neque aliter peccato regimen prohiberi potest, nisi negando consensum concupiscentiæ ad illud exequendum, ad quod ipsa pellicit, & inclinat.

Infertur *6to.* Ergo datur peccatum æternâ damnatione dignum, quod nullâ pœnitentiâ opus habet: immò per pœniten-

tiam expiari nequit. Cùm enim pœnitentia, etiam vi vocis, in eo consistat, ut transgressorem legis pœniteat delicti contra Dei legem commissi, quomodo Creaturam intellectualem, qualis est homo, illius pœnitere rationabiliter potest, quod non voluntariè, & absq; suo consensu perpetravit?

Infertur *7mo*. Ergo etiam irrationalia bruta possunt committere peccatum æterna damnatione dignum. Etiam enim ista possunt, quantum est ex parte objecti, committere multa gravia mala v. g. Pica, aut Psytacus, ad loquendum instructus, potest proferre voces blasphemas contra DEum: Lupus, Taur⁹, Leo, &c: potest hominem occidere, Canis lethaliter mordere &c. possuntq; contra jus naturale commune, esto non contra legale, multa mala perpetrare, quibus pœnam æternam mereantur. Cùm enim ad hanc incurrendam sufficiat solum factum, nec libera voluntas requiritur, aut notitia legis, non video, quomodo à Lutherano peccato excusari possint; quod omnino videntur posse committere præfixo Dogmate admisso.

Infertur *8vo*. Ergo inter peccantes voluntariè & peccantes involuntariè, atq; ignoranter legem DEi transgredientes, nulla est differentia quò ad judicium Dei, & pœnam peccati saltem extensivè æternam, tam enim hi, quàm illi Judicio Dei, & pœnâ æternâ sunt digni. Hoc autem asserere, est Scripturam S. devastare, quæ voluntariè tantùm peccantibus, & legis notitiam habentibus, Judicium DEi, pœnamq; illam interminatur, dicente Apostolo ad Hebræos 10. v. 26. *Voluntariè enim* (id est liberè, & cum consensu voluntaris) *peccantibus nobis post acceptam notitiam veritatis, jam non relinquitur pro peccatis hostia: terribilis autem quæpiam expectatio judicij, & ignis æmulatio, quæ consumptura est adversarios*. Id est, peccatores, qui Legi Divinæ sibi notæ adversa fecerunt.

DOGMA IV.

Nullum datur peccatum veniale ex se: sed omnia etiam minima peccata æternam damnationem merentur.

PRæsens Dogma videtur recentior Lutheranismus fabricâsse. Quia ipsi antiquior in suo Patre Luthero contradicit, ùt mox patebit. Prostat in Probat: Papatûs D. Schelvigij cap. 5. Illo posito

Infertur *1mo.* Ergo Lutherus in Articulis. 32 Art. falso ait: *Opus bonum optimè factum, est veniale peccatum.* Siquidem nullum veniale ex se, datur. Consequenter non solùm mala facere, sed etiam bona agere, æternam damnationem merebitur: Cùm bona opera sint peccata venialia, quæ juxta dogma æternam damnationem merentur. An hoc asserere, non est S. Scripturam devastare? & Christi effatum Joan. 5. v. 29. subruere: *procedent, qui bona fecerunt in resurrectionem vitæ.* Præterea: adhortari ad facienda bona, nihil aliud erit, quàm adhortari ad peccata æternâ damnatione digna.

Infertur *2do.* Ergo falsum est, quod maximè à Lutheranismo circumfertur ex libro Proverb. cap. 24. v. 16. juxta cujusdam versionem: *Septies in die cadit justus.* Si enim nullus venialis, seu levis casus datur, sed omnis æternam damnationem meretur, per qualem omnino justitia perditur, quomodo est justꝰ quispiam, postquam septies cecidit. Primo enim casu, juxta Lutheranismi decretum damnationem æternam meretur, admisso, jam non est actu justus. Nullus enim justus damnationis est reus. Et quid de reliquis sequentibus sex casibus dicendum?

Infertur *3tio.* Nullum Lutheranismi Sectatorem actu esse justum, seu salute æterna dignum. Cùm enim omnibus operibus suis etiam bonis peccent, ùt decernit Lutherus in Assert.

31. dicens: *Justus in omni opere bono peccat;* & ijsdem operibus nihil, præter iram, ac indignationem divinam, mereantur, ùt in quadam sua communi Cantione profitentur, semper mortalia, & æterna damnatione digna committunt peccata. Siquidem nullum datur veniale, cum quo justitia, & amicitia Dei possit consistere. Unde tales, etiam optima facientes, non sunt justi, nec æterna salute digni. Semper enim sunt in statu damnationis æternæ, quem illis quælibet eorum opera causant.

Infertur *4to.* Ergo nullus Lutheranismi Sectator salvus fiet, nisi qui in actuali fide moritur. Cùm enim omnia opera etiã bona, quæ agit, peccata sint, ùt immediatè dictum, & quidem omnia mortalia, ùt ex præfixo dogmate clarè infertur, salvari non potest, nisi actuali Fide justificetur, quâ apprehensis Christi meritis, omnia opera sua contegat. Quotus autem quisq; in actuali Fide moritur? Et quid si ipse actus Fidei sit peccaminosus, seu peccatum, & sic nè Fide quidem talis justificari possit? Cùm per id, quod est peccatum, nemo fiat justus. Probare assumptum ex Lutheranismi doctrina non est difficilè. Nam si omnia opera hominum, etiam bona, peccata sunt; actus autem Fidei bonum est opus, ùt nemo diffitetur: evidenter sequitur, actum Fidei æquè fore peccatum. Atq; hoc modo ne fide quidem justificari posse.

Infertur. *5to.* Ergo eâdem pœnâ dignum est: *irasci fratri suo*, & eidem dicere, *Racca*, atq; illum compellare *Fatuum*; siquidem non datur veniale peccatum, quod temporali duntaxat pœna dignum esset: sed omnia etiam minima æternam damnationem merentur. Atqui hoc devastat Evangelium. Christus enim benignior Judex decernit: eum qui fratri suo irascitur, tantùm *Judicij reum esse*; id est, posse eum vocari in Judicium. Alterum, *reum esse concilij*, ut in illo pœna decernatur. Tertium autem,

reum esse gehennæ ignis, Matth. 5. v. 22. id est æternæ damnationis, quæ per gehennam ignis intelligitur. Ubi ex distinctione gravioris, & levioris reatûs pœnæ, etiam levior, & gravior reatus culpæ, & consequenter gravius & levius peccatum infertur, atq; distinctio inter veniale, & mortale, quod solùm gehennæ ignis reum facit.

Infertur *7timo*. Ergo non datur differentia inter peccatum *quod est ad mortem*, & inter peccatum, *quod non est ad mortem*; siquidem omnia æternam mortem merentur. Atqui hoc dicere, est Scripturam evertere. Claram enim differentiã inter hæc Joannes Apost. asserit Epist. 1. cap. 5. v. 16. dicens: *Qui scit fratrem suum peccare peccatum non ad mortem, petat, & dabitur ei vita peccanti non ad mortem. Est peccatum ad mortem, non pro illo dico, ut roget quis.* Ergo supponit dari peccatum, quod non est ad mortem. Id est, quod ex se non meretur æternam damnationem: aliàs frustra posuisset ly: *Non ad mortem*. Neq; hic ullla imputatio, aut non imputatio juvat Lutheranismum, ratione cujus conatur ostendere, dari venialia peccata, esto omnia sint mortalia ex se, & pœnam æternam promerentia. Contra hanc enim imputationem, vel non imputationem præter alia plura, est Trabs in oculo hypocritæ Luc. 6. & Camelus Math. c. 23. Item Festuca, & Culex ibidem, quibus Christus Dominus peccata assimilavit. Certè imputatio non faciet ex Festuca Trabem, aut ex Culice Camelum. Neq; non imputatio transformabit Camelum in Culicem, aut Festucam in Trabem. Sic eadem quoque non facit ex Mortalibus Venialia, vel ex Venialibus Mortalia peccata. Sed sinit eadem esse talia, qualia malitia voluntatis humanæ per transgressionem Legis Divinæ, pensatô ipsô etiam objectô, aut materiâ formavit.

DOGMA V.

Conversio peccatoris ad DEum in se spectata, ità est solius gratiæ Divinæ opus, ut homo nullatenus in illa perficienda DEo cooperetur.

HOC Dogma Lutheranismi esse, constat ex ijs, quæ de Justificatione Peccatoris docet. Legitur in Probat: Papatûs D. Schelvigij Cap. 9. de Gratia. Ex illo autem

Infertur *1mo.* Ergo Conversio Peccatoris ad DEum defacto non est libera peccatori. Si enim solius gratiæ Dei est opus, & homo nullatenus in eadem per liberum consensum suum Deo cooperatur, necessariò, & coactè ad DEum convertitur. Ad quod enim libera hominis voluntas saltem per consensum non concurrit, dum efficitur, id necessariò & coactè facit. Atqui huic Scriptura reclamat Oseæ Cap. 11. v. 5. contra peccatores conquerens: *Noluerunt converti.* Si noluerunt, ergo in eorum libero arbitrio fuit, non converti, & denegare consensum gratiæ Divinæ, quem si posuissent, haud dubiè conversi fuissent.

Infertur *2do.* Ergo damnati non erunt rei suæ finalis impœnitentiæ. Poterunt enim dicere, se non habuisse gratiam DEi, quæ illos se solâ, ipsis nihil cooperantibus, convertisset. Poterunt dicere, defuisse sibi potentiam convertendi se ad DEum. Quia conversio etiam partialiter, saltem per liberum assensum gratiæ, non erat in ipsorum potestate. Sed hoc S. Scripturæ contrariatur Oseæ c. 13. v. 9. *Perditio tua Israel ex te.* Quod falsum esset, si damnatis defuisset potentia convertendi se ad DEum.

Infertur *3tio.* Ergo DEus frustra invitat Peccatores ad Conversionem sui: *Convertimini ad me*, Joëlis c. 2. v. 12. Frustra Propheta clamat: *Scindite corda vestra: Convertimini ad Dominum DEum*

um vestrum v. 13. Si enim nihil in Conversione sua agunt, quomodo ipsis Conversio suadetur?

Infertur *4to.* Ergo peccator non potest defactò impedire Conversionem suam. Si enim nihil agit acceptando gratiam conversionis, nihil etiam aget eandem repudiando, Nam sicut Conversio est solius duntaxat gratiæ opus, ità non conversio, & perseverantia in malo, erit solius gratiæ denegatio. Et tamen rursus conqueritur DEus: *Vocavi, & renuisti*, Proverb. c. 1. v. 24. id est, obstinatè restitisti. Et Propheta monet: *Hodie si vocem ejus audieritis, nolite obdurare corda vestra*, Psal. 94. v. 8. Quæ utiq; frustra dicerentur, si homo nihil cooperaretur suæ conversioni ad DEum.

Infertur *5to.* Ergo frustra Spiritus S. monet: *Non tardes converti ad Dominum, & nè differas de die in diem.* Eccles. c. 5. v. 8. Item per Isaiam Cap. 45. v. 22. *Convertimini ad me, & salvi eritis.* Per Jeremiam cap. 35. v. 15. *Convertimini unusquisq; à via sua pessima, & bona facite studia vestra, & nolite sequi DEos alienos.* Et per eundem Cap. 15. v. 19. *Si converteris, convertam te.* Per Ezechielē c. 18. v. 30. *Convertimini, & agite pœnitentiam ab omnibus iniquitatibus vestris.* Per Oseam C. 14. v. 2. *Convertere Isràël ad Dominum DEum tuum.* Actorum C. 3. v. 26. *Vobis primùm DEus suscitavit Filium, misit eum, benedicentem vobis, ut convertat se unusquisq; à nequitia sua.* Aliisq; plurimis locis, quos referre non vacat. Frustra inquam Spiritus S. ad conversionem sui sic admonet peccatores: Si enim Conversio peccatoris defactò est solius gratiæ Divinæ opus, ità ut in illa perficienda homo nullatenus cooperetur DEO, & gratiæ ipsius saltem liberè assentiendo, frustra hortatur: *convertimini, convertere, Non tardes, Non differas.* Hæc enim actionem liberam conversivam peccatoris, seu concursum cum gratia DEi significant. Scilicet quòd ipse, oblatæ sibi à DEo gra-

gratiæ (quæ in converſione peccatoris principalem locum obtinet) cooperetur, liberè eidem conſentiendo, à malo recedendo, & ad DEum voluntate accedendo. Qua cooperatione admiſſa longè diſtamus à Pelagio, quem nobis hoc loco obtrudit D. Schelvigius in Probat. Papatûs Cap. 9. de Gratia, Janſenium Iprenſem Epiſcopum, & Calvinum de gratia, & auxilio neceſſitante, toto pectore ſpirans, & Societatis JESU Doctoribus Pelagianiſmum calumniosè imponens, dum neutrius doctrinã rectè videtur perſpicere. Non enim dicimus, Peccatorem primò ex ſe, & ex viribus ſuis naturalibus, exclusâ omni gratiâ Divinâ, habere, quòd ſe ad DEum convertat, ùt docuit Pelagius, qui neceſſitatem gratiæ ſuſtulerat. Sed aimus: Converſionem peccatoris eſſe opus primò, & principaliter gratiæ DEi præyenientis, excitantis, concomitantis, cui pœnitens, & revertens ad DEum peccator deinde liberè cooperatur, & cum illa liberè ſe ad DEum convertit. Poterat enim illam rejicere, vel eidem reſiſtere non conſentiendo ad quod invitabat: ùt rejecerunt, & reſiſtebant illi, de quibus mox dicam: Quæ doctrina non eſt Pelagij, ſed S. Apoſtoli Pauli dicentis: *Non ego, ſed gratia DEI mecum* 1. ad Corinth. C. 15. v. 10. Id eſt: Non ego meis ſolius naturæ viribus, ſed gratia DEi adjuvans mecum operata eſt. Et Regij Vatis: *DEus in adjutorium meum intende*, Pſalm 69. v. 2. *Domine ad adjuvandum me feſtina*, ibid. Si enim in adjutorium ſuũ, & ad ſe adjuvandum, vocat DEum, quomodo non ipſe etiam agit? Aliàs DEus non eſſet adjutor, ſed ſolus operis factor, ùt S. Auguſtinus declarat, & ratio recta demonſtrat.

Infertur *6to*. Ergo defactò omnis quemcunq; DEus vult per gratiam ſuam convertere à malo ad bonum, convertetur infallibiliter: ſiquidem converſio peccatoris nullatenus dependet ab homine, ſed à ſola gratia Divina. Homo enim in converſione ſua

solùm se habet ut exanimis truncus, aut insensibilis lapis, qui nihil agit, dum artifex statuam ex illo sculpit, quemadmodũ vult Lutheranismus. Experientia tamen, & S. Scriptura docet, illatum esse falsum. Nam esto DEus *Omnes velit salvos fieri*, teste Apostolo 1. Timoth. 2. v. 4. & quidem etiam efficaciter quantum ex se: plurimi tamen manent in infidelitate sua, & in peccatis; Non aliam sanè ob causam, quàm quia gratiæ excitanti, & illuminanti cooperari nolunt. Unde DEus per Oseam cap. 11. v. 5. dicit: *Noluerunt converti*. Et Stephanus ad Judæos Actor. 7. v. 51. *Dura cervice, & incircumcisi corde, vos semper Spiritui S. resistitis*. Isaias c. 42. v. 24. *Noluerunt in vijs ejus* (DEI) *ambulare*. Et cap. 66. v. 4. *Quæ nolui, elegerunt*. Jerem. c. 8. v. 5. *Apprehenderunt mendacium, & noluerunt converti*. Ergo ad hoc ut convertantur, ut non resistant gratiæ, ut non sint nolentes, necesse est, ut sint volentes: adeoq; voluntate, & consensu suo ad conversionem propriam, DEO aliquomodo cooperantes.

Infertur *7mo*. Ergo infidelis, aut peccator dormiens, potest defactò ad Deum converti, atq; justificari: siquidem nulla ejusdem cooperatio requiritur, sed sola gratia, quæ totam conversionem sola efficit. Atqui hoc omnes allatas Scripturæ S. sententias evertit. Dormiens enim, neque est volens, neque nolens, neque resistens, neque eligens, neque apprehendens, ut quemlibet propria experientia docet, quidquid sit de somnijs, in quibus tamen non est usus liberi arbitrij.

Infertur *8vo*. Ergo DEus Isaiæ c. 4. v. 5. indebitè conqueritur contra Synagogam sub Allegoria Vineæ, quòd loco uvarum fecerit labruscas, id est: loco bonorum fructuum, & conversionis peccatorum, scelera tulerit, & obstinationes in malo. Cùm enim gratia totum agat, & peccatores ad conversionem suam non concurrant, potiùs sibi ipsi Deus imputet, quòd eis

gratiam ad proferendos bonos fructus non contulerit, quæ conversionem eorundem se sola fuisset operata.

Infertur 9no. Ergo Regius Vates, Magdalena, Petrus, Saulus, qui postea Paulus, Latro bonus in Cruce &c. Non sunt cooperati gratiæ Dei in sua conversione, nec quidquam egerunt consentiendo gratiæ prævenienti, illuminanti, & concomitanti dum actu converterentur. Si ità est, ut ex dogmate clarè sequitur, unde ergo illud Davidis: *Peccavi Domino*? Unde Magdalenæ illæ lacrymæ, illi actus Fidei, & Charitatis? Unde Petri *amarus fletus*? Unde Pauli: *Domine quid me vis facere*? Unde Latronis: *Domine memento mei*? Nunquid sola gratia hæc in illis operata est ante conversionem, vel in conversione ipsorum? Certè quod Paulus de se ait: *Gratia Dei mecum*, hoc de omnibus dicendum. Nulla enim est ratio ex S. Scripturis, ob quam asseramus, Paulum Dei gratiæ fuisse cooperatum in sua Conversione, alios non item. Hinc Deus per Ezechielem Cap. 18. v. 31. *Facite vobis cor novum, & Spiritum novum.* Non viribus naturæ, sed gratiæ meæ, eidem cooperando. Nam ùt S. Augustinus de gratia, & libero arbitrio Cap. 26. docet: *Deus dat, quod jubet: & adjuvat, ut faciat, cui jubet.*

Infertur 10mo. Ergo Deus hominem invitum, ac nolentem ad se converti, defactò convertit, justificat, & salvat. Si enim etiam liberè consentiendo, conversioni suæ non cooperatur peccator, profectò non apparet, quomodo volentem convertat, ac salvet. Hoc autem dicere, est S. Scripturam devastare: *Vocavi, & renuisti: ideoq; etiam ego in interitu tuo ridebo* Proverb. 1. v. 24.

Infertur 11mo. Ergo falsum est, quod de beatis, ante Thronum DEI in cælo stantibus S. Scriptura asserit Apocal. Cap. 7. v. 14. *Laverunt stolas suas, & dealbaverunt eas in sangvine Agni.* Si enim conversio peccatoris, ac justificatio, ità solius est gra-

tiæ opus, ut homo nullatenus in illa DEO, & gratiæ cooperetur, evidenter falsum est, quòd beati laverint stolas suas, eásq; dealbaverint in sangvine Agni; siquidem in hac lotione, & dealbatione sui per conversionem, & justificationem factam, se habuerunt ùt trunci, & lapides animati merè duntaxat passivè. Sicut ergo falsum esset dicere, quòd trunci, & lapides à sordibus mundati, se, vestimenta sua, quibus teguntur, laverint, & dealbaverint, cùm nihil ad lotionem, vel dealbationem cooperati sint: Ità falsum est, dicere, quòd Justi, se, vel stolas suas laverint, & dealbaverint, si se in conversione, & justificatione sua merè tantùm passivè habuerunt, & nihil in illa lotione, & dealbatione egerint, ùt Lutheranismus contendit. Unde vel Scriptura fallit, quod fieri nequit: vel Dogma cadit, quod Scriptura evertit.

DOGMA VI.

Nullus Fidelis de sua electione ad salutem æternam dubitare potest, aut dubius esse debet.

PRæsens Dogma Lutheranismi clientes miris afficit solatiis. Hoc enim solo, quia in Christum credunt, jam salutis æternæ adeo securos se esse existimant, ut nè dubitare quidem hac de re ullo modo liceat. Videri potest in Probat. Papatûs D. Schelvigij c. 10. de Prædestinatione. Quo admisso

Infertur *1mo.* Ergo omnis fidelis certus est de salute sua, cùm nè dubitare quidem de electione ad salutem æternam debeat, aut licitè possit. Si ità est, erravit Apostolus ad Philip. c. 2. v. 12. scribens, atq; jubens, *cum metu, & tremore salutem operari.* Ut quid enim de illo metuam, ut quid præ timore tremam, nè fortè non consequar, de quo consequendo ità certus sum, ut nè du-

bitare mihi liceat.

Infertur *2do.* Ergo quilibet homo Christianus certus est in hac mortali vita, se amore DEi actu dignum esse, atq; à DEO amari. Si enim certus est de electione sua ad salutem, ità ut de illa non ausit dubitare, certus etiam est de amore DEi erga se. Hæc enim non est nisi eorum, quos DEus amat. Atqui hoc S. Scripturam subruit. Nam Spiritus Domini per Eccles. cap. 9. v. 1. asseverat: *Sunt justi, & sapientes, & opera eorum in manu Dei: & tamen nescit homo, utrum amore, an odio dignus sit.* Ergo etiam nescit, utrum sit de numero electorum. Atq; hinc de electione sua meritò dubitare potest. De quo enim nescio, utrùm se ità, an aliter habeat, de eo me dubitare omnino oportet.

Infertur *3tio.* Ergo fures, homicidæ, adulteri, raptores &c. modò sint Christiani, de sua salute certi sunt, cùm de electione ad eandem nullus fidelis, qualis etiam hos esse supponimus, dubitare possit. His enim sceleribus non desinunt esse Christiani, neq; fideles. Nam Fides non amittitur nisi per oppositã sibi Infidelitatem. Aliàs malè subsisteret Lutheranismi Ecclesia, si per quodlibet peccatum Fides amitteretur, ut volebant antiquiores illius defensores. Cùm enim continuò etiam bonis operibus, & quidem semper quantum ex se, mortalia peccata committant, ut superiùs ostensum, vix in aliquo adulto remanebit Fides, præterquàm in illo, qui dicere potest: *Mundus sum.* At quis hic, & laudabimus eum? Sed illatum devastat S. Scripturã. Paulus enim 1. ad Corinth. 6. asserit, *tales non possessuros Regnum DEI.*

Infertur *4to.* Ergo nulli fideli timendum, nè fortè non sit de numero electorum ad salutem æternam. Nam hoc ipso dubitaret, quod facere, nec potest, nec audet. Atqui hoc Scripturam S. subruit. S. Paulus enim Roman. c. 11. v. 20. monet: *Tu*

autem fide stas, noli altum sapere, sed time.

Infertur 5*to.* Ergo etiam illud patientiæ exemplar Job, utpote fidelis, & in Deum credens, de electione sua timere non potuit, neque debuit: aliàs de illa dubitâsset, quod nulli fideli licet. Et tamen timens, ac tremens ajebat cap. 31. v. 14. *Quid faciam cùm surrexerit ad judicandum Deus? & cùm quæsierit, quid respondebo illi?* Hoc ergo viro justiores, & certiores salutis suæ sunt Lutheranismi asseclæ; quia nec dubitant, dum ipse præ timore tremit. Nec habent, cur tremendum illum diem timeant, cùm certi sint de sua electione.

Infertur 6*to.* Ergo de commissis peccatis non est necesse fidelem Lutheranum esse solicitum, aut meticulosum: potestq; absque metu peccatum peccato addere, & sinè pœnitentia in statu peccaminoso perseverare, siquidem de sua electione ad salutem indubius esse potest, ac debet. Præsertim audiens plena solatij Verba Lutheri Evangelistæ sui Lib. de Captivit. Babylon. Capite de Baptismo: *Vides, quàm dives sit homo Christianus sive baptisatus, qui etiam volens non potest perdere salutem quantiscunq; peccatis, nisi nolit credere. Nulla peccata eum damnare possunt, nisi sola Incredulitas* Et sermone de piscatura Petri: *Quantò sceleratior es, tantò citiùs Deus gratiam suam infundit.* At hæc doctrina, & fiducia S. Scripturam evertit. Nam Spiritus S. per os Ecclesiastici cap. 5. v. 5. & 9. clamat: *De propitiato peccato noli esse sinè metu, neq; adjicias peccatum super peccatum ... Subitò enim veniet ira illius, & in tempore vindictæ disperdet te.* Et Sapient. c. 1. *In malevolam animam non introibit Spiritus sapientiæ,* scilicet per gratiam & Justificationem.

Infertur 7*mo.* Ergo occulta Dei consilia, qualia sunt de electione hominum ad æternam salutem, potest homo indubitatè scire, modò in Christum credat: Cùm de sua electione ad

ſalutem, nè dubitare quidem poſſit. Atqui hoc Scripturam devaſtat. Quærit enim S. Apoſtolus Paulus ad Roman. c. 11. v. 14. *Quis cognovit ſenſum Domini? aut quis Conſiliarius ejus fuit?* Scilicet ùt conſilia de electione hominum noverit, de quibus ibidem Apoſtolus agit.

Infertur *8vo.* Ergo omnis fidelis certus eſt de finali ſua perſeverantia in bono, & in ſtatu gratiæ Divinæ. Electio enim ad æternam ſalutem, pendet à perſeverantia finali Chriſto D. aſſerente: *Qui perſeveraverit uſq; in finem, hic ſalvus erit.* Matth. c. 10 v. 22. Illatum autem evertit S. Apoſtoli Pauli ſententiam: *Qui ſe exiſtimat ſtare, videat nè cadat.* 1. Corinth, c. 10. v. 12. Et Roman. c. 11. v. 22. *Vide ergo ſeveritatem, & bonitatem Dei. In eos quidem, qui ceciderunt ſeveritatem, in te autem bonitatem Dei, ſi permanſeris in bonitate, alioquin & tu excideris.*

Infertur *9no.* Ergo fideli non eſt orandum, ut vel ipſe, vel alij ſalutem conſequantur, quandoquidem certus eſt de electione ſua ad ſalutem, de qua nè dubitare quidem licet. Eliminandum igitur ex Lutherana Oratione Dominica illud: *Adveniat Regnum tuum.* Ut quid enim à Deo petas, de quo conſequendo adeò certus es, ut nè dubitare quidem poſſis, vel audeas? Verùm in contra clamat Scriptura Jacobi Cap. 5. v. 16. *Orate pro invicem, ut ſalvemini.* Quod etiam Lutheraniſmi Clientes faciunt, ſanè ad præfixi dogmatis ruinam.

Infertur *10mo.* Ergo in Juſtificatione peccata verè tolluntur, & non tantùm teguntur, ut Lutheraniſmus contendit. Hoc enim ipſo quia fidelis de ſua electione ad ſalutem non poteſt, nec debet dubitare, etiam certum eſſe oportet, nullum in eo ſupereſſe peccatum. Nam ille ſolus ità certus eſſe poteſt de ſua electione, qui certus eſt, quòd *nihil damnationis ſit in ipſo*, ſeu nihil tale, quod damnatione ſit dignum. Aliàs ſi peccata manent,

&

& solummodo teguntur, omnino dubius esse potest, immò dubius esse debet de sua electione ad salutem, quamdiu in eo commissum peccatum manet; cùm certus sit ex revelatione Divina, nihil coinquinatum peccato ingredi in Regnum DEI Apocal. 21. v. 27. Neq; *non imputatio peccatorum* quidquam certitudinis facit. Incertus enim est peccator, an ei peccata non imputentur, quamdiu in illo manent. Deinde, non imputatio illa revera est commentum cerebri Lutherani, non revelatio ex Verbo Dei. Meliùs itaq;, & veriùs Doctor gentium Paulus: *Nihil mihi conscius sum, non tamen in hoc justificatus sum* 1. Corinth. 4. v. 4. Quo effato dogma Lutheranismi penitus ruit.

DOGMA VII.

Lex (seu præcepta Dei in S. Scripturis contenta) *est perfecta Regula omnium bonorum Operum.*

HOC dogmate supposito ridet Lutheranismus illa Catholicorum bona Opera, quæ non sunt præcepta à Deo in Scriptura S. Qualia sunt, Voluntaria Paupertas, Cælibatus, subjectio sui ad obediendum alteri, Jejunia, Peregrinationes &c. Dogma habetur in Probat: Papatûs D. Schelvigij Cap. 11. de Lege & Evangelio. Eo admisso

Infertur *1mo*. Ergo quæ fiunt præter Legem, seu præceptum Divinum, non sunt bona Opera. Sed vendere omnia, & dare pauperibus, est præter Legem: nusquam enim est præceptum, ergo non est bonum opus, consequenter nullam mercedem apud Deum meretur, nec quidquam per illud thesaurisatur in cœlo. Atqui hoc æternæ Veritatis effatum evertit, suadentis cuidam Marci cap. 10 v. 21. *Vende omnia quæ habes, & da pauperibus, & habebis thesaurum in cælo.*

Infer-

Infertur *2do*. Ergo Ecclesias, & Hospitalia ædificare, Viduas, Pupillos curare, mortuos sepelire &c. Non sunt bona opera; quia non sunt præcepta in Lege Evangelica. Cur igitur fiunt in ipso Lutheranismo? Immò suadentur à Doctoribus ejusdem, ùt inferiùs enucleatiùs ostendam. Fortè ut hoc ipso Lutheranismus se subvertat.

Infertur *3tio*. Ergo esurientes pascere, sitientes potare, nudos cooperire, infirmos, & incarceratos visitare &c. non sunt bona opera. Quia de illis nulla Lex, nullum præceptum in S. Scripturis exstat; quod juxta primum dogma oportet esse clarum, quidquid sit de exemplis; hæc enim non sunt præcepta. Atqui illatum subruit sententiam Judicis, qui promittit se illa opera præmiaturum possessione regni cælestis, ùt legimus Matth. c. 24. Igitur bona sint, oportet. Mala enim ignem æternũ in præmium habebunt.

Infertur *4to*. Ergo facere vota Deo de rebus non præceptis, sed honestis, eademq; exsolvere, non est bonum opus. Cùm Lex sit pefecta regula omnium bonorum operum, quæ talia non præcipit. V. G. Facere votum, Te velle Servis DEI in Ecclesiis, aut scholis, vel pauperibus de tuis facultatibus aliquid elargiri: vel pauperibus Studiosis aliquos census constituere: vel viduas, atq; pupillos curare: vel diligentiùs templum frequentare: sæpius Cœnam Domini adire: vel domesticos Catechismo imbuere: vel quotidie unam horam lectioni Bibliorum, & orationi impendere: vel nunquam vesperi cubitum concedere, nisi facto priùs diligenti examine transactæ diei &c: non sunt bona opera. Quia hæc omnia sunt præter Legem, nec usquam clarè præcepta in Lege Evangelica, seu in S. Scriptura, quæ perfecta est Regula omnium bonorum operum, ùt Dogma sonat. Et tamen talia suadent suis Lutherani Doctores, ùt

videri poteſt in Probat. Papatûs D. Schelvigij cap. 27. de Votis. Ergo ſuadent ea, quæ non ſunt bona opera; quia non continentur in Lege, quæ eſt Regula omnium bonorum operum. Conſequenter Deo non placent, cui bona duntaxat placent. Quod ſi vera eſt doctrina Lutheri ſuperiùs allata: *Omnia bona opera ſunt peccata*: Profectò etiam hæc quæ D. Schelvigius ſuadet, peccata eſſe oportet. Igitur ab illis Lutheraniſmo abſtinendum.

Infertur 5*to*. Ergo illi, qui in Cælibatu vivunt & appetitus carnales frænant, non exercent bonum opus, ac Deo placens. Proinde nec Apoſtoli, qui Uxores reliquerunt, nec Paulus, nec Joannes, qui eas non duxerunt, bonum, ac placens Deo opus exercuerunt in cælibatu, & caſtitate vivendo. Siquidem hoc in lege non præcipitur, quæ eſt perfecta Regula omnium bonorũ operum. Hoc autem dicere, eſt Scripturam S. devaſtare. Clarè enim affirmat Apoſtolus Paulus 1. Corinth. 7. v. 1. *Bonum eſt homini mulierem non tangere*. Et ibidem v. 8. *Dico autem non nuptis, & viduis*: *bonum eſt illis ſi ſic* (id eſt non nupti, & viduæ) *permaneant, ſicut & ego*. Si bonum eſt, & tamen in lege, quæ eſt perfecta Regula omnium bonorum operum, non continetur: Ergo, vel Apoſtolus fallit, quod eſt blaſphemum, vel dogma Lutheraniſmi decipit, ex quo contrarium ſententiæ Apoſtolicæ evidenter ſequitur.

Infertur *6to* Ergo qui omnia relinquunt propter Chriſtum, eúmq; in Evangelica perfectione Paupertatis ſequuntur, non faciunt bonum opus præmio Dei dignum. Atq; hoc modo etiam Apoſtoli, quando relictis omnibus vocantem Chriſtum ſecuti ſunt, non bonum opus fecerunt: nec bonum illi, & præmio Dei dignum opus exercent, qui domum, fratres, ſorores, aut patrẽ, aut matrem, aut uxorem, aut filios, aut agros propter nomen Chriſti relinquunt. Quia hæc omnia nuſquam ſunt in lege præcepta,

cepta, quæ ut asserit dogma, est perfecta Regula omnium bonorum operum. Fallit igitur Veritas Divina, dum his omnibus Matth. 19. v. 29. & Marci 10. v. 30. *Centuplum, & vitam æternam* in præmium promittit, quæ mala, & indifferentia opera utique non præmiat.

Infertur *7mo.* Ergo non bene agit, qui uxorem ducit: Quia hoc nulla lege sancivit Christus, quæ omnium bonorum Operum, seu actuum perfecta Regula est. Quòd verò Apostolus ait: *Propter fornicationem unusquisq; uxorem suam habeat* 1. Corinth. 7. v. 2. Non est lex, aut præceptum, sed consilium, ut ex ulterioribus ejusdem verbis patet, quæ post instructionem de Matrimonio v. 6. adiecit: *Hoc autem dico secundùm indulgentiam, non secundùm imperium. Volo enim omnes vos esse, sicut me ipsum.* Ipse autem uxorem non habuit: aliàs hæc frustra adiecisset. Igitur abstinendum Lutheranis à Matrimonio, nè & præsens, & primum Dogma Lutheranismi in ruinam agatur.

Infertur *8vo.* Ergo exequi consilium Christi de castratione sui propter Regnum Cœlorum, id est non nubendi, non est bonum opus, siquidem in Regula bonorum Operum Lutheranismi non præscribitur. Malè igitur Paulus 1. Corinth. 7. v. 25. *De Virginibus* (seu de non nuptis) *præceptum Domini non habeo, consilium autem do, tanquam misericordiam consecutus à Domino, ut sim fidelis. Bonum est homini sic esse. Solutus es ab uxore, noli quærere uxorem.* Nec convictiva est ratio pro vita perfectiore, quam inferiùs v. 32. adjecit: *Qui sinè uxore est, solicitus est, quæ Domini sunt, quomodo placeat Deo; quia qui cum uxore est, solicitus est, quæ sunt mundi, quomodo placeat uxori, & divisus est. Et Mulier innupta, & Virgo cogitat quæ Dei sunt, ut sit Sancta corpore, & spiritu: quæ autem nupta est, cogitat quæ sunt mundi, quomodo placeat viro.*

Infertur *9no.* Ergo ille Pater, qui non jungit Matrimonio filiam

liam suam Virginem sic manere volentem, non bene agit. Quia hoc est extra præceptum Domini, ùt Apostolus jam est confessus. Si ità est: ergo ipse falsò docet, 1. Corinth. 7. *Qui matrimonio non jungit Virginem suam, meliùs facit.* Quomodo enim meliùs, si neque bene facit; quia præter legem, quæ est perfecta regula omnium bene factorum, tam scilicet positivorum, quàm negativorum.

Infertur *10mo.* Ergo illi, qui in primitiva Ecclesia bona sua vendebant, & pretium eorum ad pedes Apostolorum deponebant Actor. 4. v. 34. non bonum opus faciebant: Id enim in lege, seu regula bonorum operum nusquam præcipitur. Unde S. Apostolus Petrus cuidam, qui de pretio agri sui aliquid sibi occultè retinuerat, dixit: *Nónne manens tibi manebat, & venumdatum in tua erat potestate.* Actor. 5. v 4. Quod tamen opus Spiritus S. adeò non reprehendit, ut etiam approbaverit, cùm Apostoli pretium venditorum bonorum susciperent, & egentibus distribuerent. Imò illos esse correptos asserit S. Scriptura, qui de pretio aliquid subtraxerunt Actor. 5. v. 5. v. 10. Ergo hoc facere, vel non est bonum opus, ut stet Lutheranismi dogma: vel si est, dogma ruere oportet, nè S. Scriptura devastetur.

DOGMA VIII.

Nullus homo in terra, etiam renatus, DEI præcepta servare potest.

LUtheranismi præsens esse dogma, loquuntur ejusdem scripta & voces. Habetur in Probat: Papatûs D. Schelvigij. c. 11. Ex quo admisso.

Infertur *1mo.* Ergo frustra, imò ad hominum etiam fidelium perditionem, legem & præcepta sua tulit DEus; siquidem

ejuſmodi ſunt, ut à nullo impleri poſſint: & tamen illa non implentes, æternùm damnantur. Primum eſt contra receptum ab omnibus axioma: *DEus, & natura nihil fruſtra facit.* Alterum pugnat contra infinitam DEi bonitatem, quæ omnes homines vult ſalvos fieri adimpleta conditione obſervationis præceptorum ſuorum: *Si vis ad vitam ingredi, ſerva mandata.* Matth. 19. v. 17. Unde etiam mandata vitæ appellantur in S. Scripturis. Baruch. 3. v. 9. & Ezechiel. 33. v. 15. Si autem à nullo impleri poſſunt, falſum eſt, quòd velit aliquem ſalvum fieri. Poſuit enim ad ſalutem conſequendam conditionem impoſſibilem; ſcilicet mandatorum ſuorum obſervationem, quam nullus hominum implere poteſt.

Infertur *2do*. Ergo DEus ignorat, quid genus humanũ præſtare, aut exequi poſſit: ſiquidem ipſi legem, atq; mandata dedit, quæ nullus hominum executioni mandare poteſt. Atqui hoc pugnat contra DEI Omniſcientiam, & rectam rationẽ evertit. Quod ſi DEus ſcit impotentiam hominum, & tamen illis mandata impoſuit, quæ ſervare non poſſunt, neceſſariò in bonitate, & miſericordia deficit, dum plùs ab iiſdem exigit, quàm præſtare poſſint.

Infertur *3tio*. Ergo falſum dixit ille, cui Chriſtus neceſſariam mandatorum DEI obſervationem ad vitam æternam conquendam, inculcabat, inquiens: *Omnia hæc ſervavi à juventute mea,* Matth. 19. Et tamen non legimus in S. Scriptura, ob falſitatem, vel mendacium à Chriſto fuiſſe redargutum, qui oculo Divino conſcientiam ejus penetrabat, & aliàs hypocriſi laborantes non palpabat.

Infertur *4to*. Ergo falſum ſcripſit S. Evangeliſta Lucas de Zacharia, & Eliſabetha cap: 1. *Erant ambo juſti ante DEum, incedentes in omnibus mandatis & Juſtificationibus Domini ſinè querela.* Si

enim

enim nullus etiam fidelis homo, DEi præcepta servare potest, neq; hi illa servaverunt: adeoque non erant incedentes in omnibus mandatis, & justificationibus Domini.

Infertur. 5to. Ergo falsò gloriatur Paulus: *Omnia possum in eo, qui me confortat.* Philip: 4. v. 13. Et alibi: *Nihil mihi conscius sum* (scilicet mali contra præcepta DEi) 1. Cor. 4. v. 4. Si enim nullus potest præcepta DEi servare, quomodo ipse omnia potest? quomodo sibi nihil conscius est contra eadem? Certè aut Apostolus fallitur, aut dogma ruit.

Infertur 6to. Ergo etiam æterna Veritas fallit, dicens: *Jugum meum suave est, & onus meum leve*, Matth: c. 11. v. 30. In quo utiq; mandata ejus continentur; cùm alibi asserat, se non venisse legem solvere (nempe moralem) illamq; à suis perfectiùs vult observari, quàm ab antiquis, ùt inferiùs declarabitur. Quomodo enim illud suave, & leve, quod nemo ferre, seu observare potest? Profectò hoc onus, præsens dogma prosternit.

Infertur 7timo. Ergo & discipulus æternæ Sapientiæ Joannes Apostolus, falsò asserit: *Mandata ejus gravia non sunt.* 1. Joan. 5. v. 3. Nam si servari nequeunt, quomodo non sunt gravia?

Infertur 8vo. Ergo iterum Paulus Apostolus Christianos decipit, dum eos videtur solari 1. Corinth. 10. v. 13. *Fidelis DEus, qui non patitur vos tentari ultra id, quod potestis.* Si enim nullus fidelis præcepta DEi servare potest, quæ dedit, certè supra id, quod possunt Christiani, illos tentat. Quia ab illis exigit, & quidem sub interminatione damnationis æternæ, quod præstare non possunt.

Infertur 9no. Ergo non datur Fides viva, seu justificans in ullo homine fideli, seu renato. Nam viva Fides non datur nisi in eo, qui mandata DEi servat, ùt S. Apostolus Joannes Epist. 1. c. 2. v. 4. clarè docet inquiens: *Qui dicit, se nosse eum* (DEum nempe per Fidem) *& mandata ejus non custodit, mendax est, & in hoc veritas non*

est: Acsi diceret: mentitur se fidem vivam habere. Si dicas: posse mandata servari imperfectè, & inchoatè, ut jam mitior Lutheranismus admittit. Infero ulterius: Ergo viva fides in renato datur solùm *imperfectè*, & *inchoatè*. Hæc enim cum observatione mandatorum DEi proportionatur, ùt ex Apostoli effato patet. Quæ si nullatenus serventur, nullatenus viva fides habetur. Si servantur imperfectè, & inchoatè, imperfecta etiam, & inchoata duntaxat Fides erit. Atqui Fides imperfecta, & inchoata, non est viva, seu justificans, ùt ipse Lutheranismus fatetur: Ergo si in omni, etiam renato, datur observatio legis solum imperfectè, & inchoatè, in nullo datur viva Fides, seu justificans. Consequenter nullus datur justificatus, seu justus. Quod asserere, est tot Scripturæ S. sententias devastare, quot ipsa justos refert, atq; laudat.

Infertur *10mo*. Ergo Transgressores Mandatorum Dei non peccant. Peccatum enim est libera transgressio legis, quam servare quispiam tenetur, & potest. Aliàs lex esset injusta, & ad impossibilia nemo prudenter obligari potest. Si itaq; fideles præcepta Dei servare non possunt, non peccant, quando illa transgrediuntur. Atqui hoc iterum devastat S. Scripturam, quæ transgressores Legis Divinæ tot locis peccatores compellat; quod non faceret, nisi peccarent.

Infertur *11mo*. Ergo Transgressores Divinæ Legis, seu non observantes præcepta Dei, non sunt puniendi. Nam lumen naturæ dictat, eum non esse puniendum, qui non præstat, quod nullus fidelium præstare potest v. g. homo non est puniendus, quia non volat cum Avibus per aëra: quia non loquitur illis lingvis, quas nunquam audivit, vel didicit &c: Ergo injustè ab ingressu Regni Cœlorum arcentur illi, de quibus Apostolus 1. Corinth. 6. v. 10. Injustè malefactores, seu transgressores Mandatorum Dei ad ignem æternum condemnabuntur. Quia tunc

solùm

solùm justè, & meritò ob legis transgressionem quispiam condemnatur, & punitur, quando lex illud exigit, quod facere, aut omittere potuit: aliàs & lex, & pœna injusta, ut ipsum lumen rationis docet.

Infertur *12mo.* Ergo nullus fidelis, seu Christianus ad pœnas æternas condemnabitur. Quia si aliquis ad illas damnabitur, id ideo contingeret, quia mortaliter peccavit, & legis transgressione gravem Dei offensam commisit, ob quam damnationis illius reus esset. Sed si nullus potest Dei præcepta servare, nullus mortaliter peccat. Quia Mortaliter, seu dignè Infernali pœna peccare, est transgredi voluntariè præceptum Divinum graviter obligans hominem: graviter Deum offendere, est ejus voluntati, quam implere poteras, & tenebaris, graviter contravenire, ùt sana Theologia cum Ss. Patribus docet. Imprudenter enim etiam homo, graviter se offensum diceret, cujus voluntati contraveniretur, quam implere nemo posset. Ergo si voluntatem Dei, per mandata sua nobis manifestatam, nemo implere potest, nemo condemnabitur. Quò igitur illa S. Pauli comminatio 1. Corinth. 6. v. 9. *Nolite errare: neq; fornicarij, neq; idolis servientes, neq; adulteri, neq; molles, neq; masculorum concubitores, neq; fures, neq; avari, neq; ebriosi, neq; maledici, neq; rapaces, Regnū Dei possidebunt.* Vel ergo nullus est fidelis, seu Christianus, qui sit de numero istorum, quod juxta præsens dogma fieri nequit, cùm præcepta Dei nullus servare possit (ad intra saltem ùt quidam emolliunt) vel hi omnes salvabuntur, quod allatam S. Scripturæ sententiam evertit.

Infertur *13mo.* Ergo non datur Infernus, seu ignis æternus, in quo Christiani pro peccatis gravibus, per pœnitentiam non sublatis, pœnas luant. Si enim juxta præcedens illatum, nullus damnabitur, ùt quid Infernus pro illis? Qui igitur illi erunt, qui-

bus

bus justus Judex dicet: *Discedite à me maledicti in ignem æternũ,* Matth. 25. Certè non soli Infideles: quia hi Christum non noverunt, ut eum potuissent in minimis Fratribus suis, cibare, potare, cooperire, visitare &c. Igitur etiam erunt Christiani, qui opera misericordiæ erga confratres suos non exercuerunt: qui mandata Dei non servantes, Charitatem Dei excusserunt.

Infertur *14to*. Ergo vel DEus non datur; aut si datur, & talia præcepta imponit hominib⁹ sub interminatione, & executione damnationis æternæ, quæ servare non possunt, verus DEus non est. Nam ver⁹ Deus necessariò est infinitè justus, infinitè bon⁹, infinitè misericors: sicut enim ipse in se infinit⁹ est, aliàs DE⁹ non esset, quia perfectior illo cogitari posset: sic omnes illi⁹ perfectiones infinitæ sint oportet, utpote ipsi essentialiter identificatæ. Sed si ejus præcepta non possent ab ullo mortalium servari, non esset infinitè justus; quia id exigeret ab homine sub interminatione æternæ damnationis, quod non potest præstare: adeoq; exigeret DEus id, ad quod exigendum nullum jus haberet! Quia exigeret impossibile homini, quod est contra Iustitiam. Hæc enim non plùs exigit, quàm quod debes, ac potes. Nam ad impossibile nullum Jus datur. Præterea DEus non esset infinitè bonus. Haberet enim terminum bonitas illius in eo, ubi tantum malum creaturæ infligeret ob id, quod ipsa exequi non potest. Non esset infinitè misericors. Quia cruciatibus æternis addiceret transgressorem legis, cui servandæ omnino impar fuit. Ergo iste DEus cum tali lege non datur: Vel si datur, non est verus DEus, quem Lutheranismo libenter cedimus.

Infertur *15to*. Ergo nullus hoc dogmate persuasus potest diligere DEum. Quia dilectio DEi consistit in observatione Mandatorum DEi teste Apostolo Joanne Epist. 1. cap: 5. v. 2. In hoc cognoscimus, quoniam diligimus natos DEi, cùm DEum dili-

diligamus, & mandata ejus facimus: *hæc enim est Charitas DEi, ut mandata ejus custodiamus.* Immò ipsa Veritas Divina Joan. 14. v. 21. ex mandatorum observatione dilectionem infert: *Qui habet mandata mea, & servat ea, ille est, qui diligit me.* Ergo si à nullo servari possunt, à nullo etiam DEus diligi potest.

Infertur *16to.* Ergo omnes, vel saltem pleriq; hoc dogma sequentes, sunt hypocritæ. Omnes enim, vel pleriq; saltem, conantur ad extra virtuosè vivere, & præcepta DEi servare, exercendo etiam opera misericordiæ, Iustitiæ, Temperantiæ &c. Ex altera verò parte varia scelera contra præcepta DEi committunt: quandoquidem eadem servari posse negant. Quæ proinde occultè violant, atq; externo duntaxat pallio transgressiones præceptorum tegunt. Verè sepulchra foris dealbata, quæ aforis parent hominibus speciosa, intus verò plena sunt ossibus mortuorum.

DOGMA IX.

Salus non est speranda per legis observationem: nec gratia Evangelica (salus videlicet) nobis promittitur, aut datur sub conditione Observationis Mandatorum.

HOC dogma illam inducit libertatem, quâ Lutheranismus gloriatur, se esse filium liberæ, non ancillæ. Eo enim se eximit ab omni jugo legis, etiam moralis; adeò ut sinè illius observatione soli fidei innixus, certam salutem suos sperare jubeat, ùt dogma VI. asseruit. Habetur in Probat. Papatûs D. Schelvigij cap. 9. Illo admisso.

Infertur *1mo.* Ergo sinè observatione legis, seu Præceptorũ DEi moralium in duabus tabulis contentorum, salus obtinetur. (loquor de adultis Christianis) Siquidem per observationem eorum non est speranda: nec observatio eorundem *est Conditio*

ſub qua, vel ſinè qua non (ut alibi docet D. Schelvigius, nempe in Catalogo Errorum Schützianorum;) ad ſalutem neceſſaria. Ergo blaſphemi, Parentum contemptores, homicidæ, fures, adulteri, falſi teſtes, alienorum raptores &c. legis Divinæ tranſgreſſores, eſto non pœniteant, modò in Chriſtum credant, ſalutem conſequentur. Atqui hoc S. Scripturam devaſtat. Evertit enim Apoſtoli ſententiam 1. ad Corint. c. 6. v. 9. citatam hìc Dogmate VIII. Illato 12. quæ talibus Regni cæleſtis poſſeſſionẽ denegat.

Infertur *2do.* Ergo Chriſtus voluit decipere illum Juvenem de ſalute ſua ſolicitum, & quærentem ex Magiſtro cæleſti, quid ſibi ad eam acquirendam agendum eſſet, dum ei reſpondit: neceſſariam eſſe *mandatorum obſervationem*, Matth. 19. Ulterius verò dubitanti, quænam illa eſſent? Chriſtus in medium protulit, quæ in Decalogo continentur & nos moralia appellamus. Decipere inquam voluit: Nam ſi ſalus animæ non eſt ſperanda per legis moralis obſervationem, & promiſſio ejuſdẽ ſalutis non eſt ſub conditione obſervationis mandatorum, ipſe tamen aſſeruit: *Si vis ad vitam ingredi*, id eſt ſalutem æternam obtinere, *ſerva mandata:* clarè ſequitur, quòd eum Veritatis Magiſter voluerit decipere; cùm obſervatio mandatorum DEi non ſit medium, ſeu conditio ad conſequendam ſalutem neceſſaria.

Infertur *3tio.* Ergo ad hoc, ut ſalutem æternã conſequantur Chriſtiani, non eſt neceſſe, Juſtitiam eorum (ſcilicet in obſervatione legis moralis) abundare plùs, quàm Scribarum & Phariſæorum, quæ apud illos in eo conſiſtebat, ut amicos diligerent, inimicos odio haberent, non occiderent, non mæcharentur, non pejerarent &c. Immò neq; hæc Juſtitia requiritur in Chriſtianis ad conſequendam ſalutem. Cùm ſalus per obſervationem legis, ùt conditionis implendæ, non ſit ſperanda, ùt aſſerit dogma. Si hoc verum eſt, quod apertè ex dogmate ſequitur;

quitur; ergo iterum Christus suos seducit, vel saltem joco utitur in adeò seriis, dum sanctè asserit: *ego autem dico vobis, nisi abundaverit Justitia vestra plùs quàm Scribarum, & Pharisæorum, non intrabitis in Regnum Cælorum.* Matth. c. 5. v. 20. Quam Justitiæ abundantiam statim explicuit, dum eam Pharisaicæ opposuit, dicens: illis præceptum fuisse, *Non occidere*: Christianis hæc Justitia non sufficit. Sed ijs præcipitur, etiam *non irasci fratri suo.* Illorum Justitia fuit, *Non pejerare*: Christianorum in eo debet abundare, *nè jurent omnino, neq; per Cœlum, neq; per terram* (intellige sinè justa causa) Illorum justitia fuit: *dentem pro dente excutere, oculum pro oculo eruere &c:* Christianorum verò justitiam ita abundare, & hanc excellere oportet, *ut malum pro malo non reddant.* Sed *si quis percusserit te in dextram maxillam tuam, præbe ei & alteram.* Illorum justitia fuit: *diligere amicos, & odio habere inimicos.* Abundantia justitiæ Christianæ est, diligere etiam inimicos, benefacere his qui nos oderunt, orare pro persequentibus, & calumniantibus &c: Quæ omnia habes citato Capite: Ergo vel hæc ex Evangelio eradenda, vel dogma Lutheranismi eliminandum.

Infertur *4to.* Ergo frustra Sapientia Divina transgressoribus illorum mandatorum, quæ apud Matthæum c. 5. enumeravit, comminatur: *Si quis solverit unum de mandatis istis minimis, & docuerit sic homines, minimus vocabitur in Regno Cælorum* v. 19. Frustra etiam Apostolus Roman. c. 3. v 31. protestatur: *se legem non destruere per Fidem, sed statuere.* Si enim per ejusdem observantiam Christiani non acquirunt salutem: si observatio illius non est *conditio sine qua non*, ad ingressum in vitam æternam, ùt quid non destruit legem? sed statuit, id est, stabilit. Ut quid legem solvens, *minimus*, hoc est, *nullus* in Regno Cœlorum, seu in Ecclesia appellatur, ùt exponit S. Chrysostomus & Theo-

philactus, quasi jam tum in Ecclesia non esset, neq; ad eam pertineret. Vides, ùt Dogma præfixum S. Scripturam devastat! Quæ ut integra maneat, illud corruat est necesse.

Infertur 5*to*. Ergo Christianus potest esse actu amicus Dei, esto non servet ejus mandata. Si enim sinè legis observatione potest salvari; cùm salus per legis observantiam non sit speranda, neque sub conditione promissa: *Si præcepta servabimus*: potest etiam sinè ejus observatione esse amicus Dei. Non enim salvantur, nisi amici Dei. Atqui illatum S. Scripturam devastat. Evertit enim æternæ Veritatis effatum: *Vos amici mei estis, si feceritis, quæ præcipio vobis*. Joan. c. 11. v. 14. Ergo ut istud stet, dogma cadat, oportet.

DOGMA X.

Baptismus non est simpliciter necessarius ad salutem: sed ille etiam, qui sinè Baptismo moritur salvari potest, si illum non ex contemptu neglexit.

DOgma præsens mutuavit Lutheranismus ab Anabaptistis, in solatium fortasse eorum Parentum, quorum proles absq; Baptismo decedunt. Legitur in Probat: Papatûs D. Schelvigij cap. 15. Quod satis ridiculè probat ex quodam Juridico axiomate: *Non privatio damnat, sed contemptus*. Cujus authoritas non ex Spiritu S. Sed ex placito Jurisperitorum desumpta est. Ipse verò D. Schelvigius illud hausit ex Calvini Schola; scilicet ex tractatu Bezæ de Cœna Domini contra Vestphalum cap. 36. & Dogmatibus Lutheranismi accommodat. Illo admisso.

Infertur 1*mo*. Ergo Magister Veritatis Christus falsò asserit, dubitanti de regeneratione Nicodæmo: *Amen, Amen dico tibi, nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto, non intrabit in Regnum*

Cælorum. Joan. 3. v. 5. Baptismus enim qui hac sententiâ significatur, non est simpliciter necessarius ad salutem, seu ad ingressum in Regnum Cælorum, ut Dogma docet. Nec limitationem admittit Christi effatum, ut nimirum de illis solùm intelligatur, qui Baptismum ex contemptu negligunt: Nam particula: *Nisi quis*, eam non patitur. Æquivalet enim Syncategorematì: *Omnis*, vel, *Nullus*. Et non est fundamentum ex Scripturis talis limitationis. Aliàs hac ratione omnes propositiones universales limitari possent. Immò ipsa etiam Fidei in Christum (saltem professio ejusdem externa) hoc modo eludi posset, dicendo: hanc quoq; non esse simpliciter necessariam ad salutem; sed posse eum, qui in Christum non credit, salvari, modò fidem Christianam non negligat ex contemptu: quidquid sit, quod Veritas ipsa doceat: *Qui non crediderit, condemnabitur.* Marci c. 16. Hoc namq; effatum limitabitur dogmate Lutheranismi: *Si non ex contemptu Fidem negligat.* Et ulterius confirmabitur axiomate Legistico: *Non privatio damnat, sed contemptus.*

Infertur *2do.* Ergo Infantes, qui absq; Baptismo moriuntur, salutem æternam consequuntur. Quia hi Baptismum non negligunt ex contemptu. At illatum evertit immediatam Christi sententiam. Præterea illud Apocalip. cap. 21. v. 27. *Non intrabit in eam* (nempe Jerusalem Cælestem) *aliquid coinquinatum.* Aut ergo Infantes non concipiuntur, neq; nascuntur coinquinati maculâ Originalis peccati, quod subruit Apostoli doctrinam ad Rom. cap. 5. v. 12. *In quo* (scilicet Adam) *omnes peccaverunt*: & illud Spiritûs S. effatum per Regium Vatem, *In peccatis concepit me Mater mea.* Psalm. 50. v. 7. Vel si ità coinquinati nascuntur, & tamen mortui absque Baptismo, salvantur, ruit S. Scripturæ sententia: *Non intrabit in eam aliquid coinquinatum.*

Infertur *3tio.* Ergo Mennoniſtæ laudabiliter faciunt, dum ſuos parvulos non baptiſant; ſed Baptiſmum etiam ultra adoleſcentiam, nam ferè communiter usq; ad 24 ætatis annum differunt, eumq; nec morientibus ante hanc ætatem facilè conferre dicuntur. Ratio illati ex Dogmate patet. Eſto enim non baptiſati decedant, adhuc ſalutem conſequentur. Quia non ex contemptu baptiſmum negligunt. Et tamen hanc conſuetudinem Mennoniſticam etiam Lutheraniſmi clientes arguunt, quam præfixo dogmate fortiter ſtabiliunt.

Infertur *4to.* Ergo nunc homines non ſalvantur ſimili modo, atque ſalvus factus eſt Noë cum familia ſua in Arca per Aquam. Siquidem ſinè aqua Baptiſmi æternam ſalutem conſequi poſſunt: cujus figura fuit ſalus illa temporalis Noë, ejusq; familiæ per aquam, ut docet S. Apoſtolus Petrus. Ergo falsò idem aſſerit in Epiſt. 1. c.3. v.21. *In arca pauci, id eſt, octo animæ ſalvæ factæ ſunt per aquam, quod & vos nunc ſimilis formæ ſalvos facit Baptiſma.*

Infertur *5to.* Ergo Lutheraniſmus actum non neceſſarium, & meram ceremoniam exercet, parvulos ſuos baptiſando: Cùm baptiſmus non ſit neceſſarius ſimpliciter ad ſalutem. Immò malè faciunt Miniſtri Sacramentum Baptiſmi iiſdem conferendo, cùm ſine illo ſalutem poſſint conſequi, eſto morerentur; quia Sacramentum dubio exponunt, & quaſi prodigunt, quandoquidem ſine propria actuali Fide (ùt contendunt) nemini prodeſt. Dubium autem eſt etiam illis, utrùm Infantes Fidem actualem habeant, dum baptiſantur. Id enim ex nulla Scripturæ S. ſententia legitimè poſſunt oſtendere, quæ aliàs juxta Dogma I. clara eſt in rebus Fidei.

Infertur *6to.* Ergo non ſubſiſtit effatum Chriſti Domini, connectens Baptiſmum *adultorum* cum Fide, eumque non

minùs in iisdem, quàm Fidem, ad salutem requirens: *Qui crediderit & baptisatus fuerit, salvus erit.* Marci 16. Si enim ille salvari potest, qui tantùm credit, ut quid per particulam *Et*, Baptismum conjunxit cum Fide credentis. Potiùs enim disjunctivâ: *Vel* utendũ erat, aut prorsus ly: *baptisatus fuerit*, omittendum.

Infertur *7timo.* Ergo S. Petrus Apost. compunctis in concione sua Judæis frustra præcepit Baptismum tanquam medium ad acquirendam remissionem Peccatorum, & consequenter ad obtinendam salutem. Quærentibus enim, quid sibi agendum esset? quibus scilicet mediis salutem consequi possent? claré respondit: *Pœnitentiam agite, & baptisetur unusquisq; vestrûm in nomine JESV Christi in remissionem peccatorum vestrorum.* Actor. 2. v. 38. Ubi præter donum Spiritûs S. quod per baptismum acceperunt, adjecit: *Vobis enim est repromissio*: (nempe salutis æternæ) *& filijs vestris &c.* Si igitur baptismus non est simpliciter necessarius ad salutem, frustra illis jam credentibus, tanquam mediũ, eundẽ præcepit in remissionem peccatorũ, sinè qua nemo salvatur.

Infertur *8tavo.* Ergo S. Apostolus Philippus evangelisans Jesum Eunucho Candacis Reginæ, Actor. 8. frustra cum Fide in Christum, Baptismum quoq; ad salutem necessarium prædicavit: non necessariò eum Eunuchus petiit; frustra Apostolus contulit; siquidem non est simpliciter necessarius ad salutem: utpote sinè quo poterat salvari, modò illum non contemneret: Poterat autem absq; contemptu non petere. Quòd verò Apostolus non minùs baptismum, quàm Fidem ad salutem necessariam Eunucho prædicaverit, non videtur dubitandum, siquidem illum speciatim postulavit, quamprimum aquam conspexit, ùt S. Scriptura ibidem testatur: *Et dum irent per viam, venerunt ad quandã aquam, & ait Eunuchus: Ecce aqua, quid prohibet me baptisari?* Cujus postulato Apostolus quoq; annuit, requisita priùs fide ipsius:

Si

Si credis ex toto corde, licet. Quo affirmante: *Credo Filium DEi esse JEsum Christum; descenderunt uterq; in aquam, Philippus, & Eunuchus, & baptisavit eum.* Ex quo patet, Philippum, Baptismi necessitatem ad salutem, non minùs, quàm Fidei in Christum Eunucho proposuisse: cùm & ipse tam instanter, oblatâ aquâ, eum expetiit; & Apostolus sinè mora contulit, nè jam per Fidem disposito medium desit ad salutem consequendam, à Christo praescriptum: *Qui crediderit, & baptisatus fuerit, salvus erit.* Marci 16.

Infertur 9no. Ergo homo Christum induit, esto gratiâ ipsius per Baptismum non vestiatur cùm etiam salutem animae absq; baptismo consequi possit: quod utique non nisi in gratia Dei constitutis evenit. Atqui illatum, Sententiam S. Apostoli Pauli subruit, quâ hoc indumentum solis baptisatis concedit, ad Galat. c. 3. v. 27. asserens: *Quicunq; in Christo, baptisati estis, Christum induistis.* Quod utique falsum esset, si etiam non baptisati eundem induerent: & frustra illos, tam speciali solatio ex accepto baptismo afficeret, quo sinè illo gaudere poterant.

Infertur 10mo. Ergo datur regeneratio ex vetere in novũ hominem absq; aqua, & Spiritu S. Si enim quispiam sinè Baptismo salutem potest consequi, etiam potest regenerari absque eodem. Non enim consequuntur salutem, nisi regenerati. Atqui hoc dicere, est S. Scripturam devastare. Clarum enim aeternae Veritatis exstat Oraculum. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu S. non intrabit in Regnum Caelorum.* Joan. c. 3. v. 5. Nec Lutheranismi dogma fulciunt, qui absque Baptismo pro Christo mortem subiêrunt, & tamen salutem consecutos credim⁹. Hi enim habuerunt Baptismum desiderij, ac flaminis, cum Aquae baptismo potiri non possent, & in proprio sangvine baptisati sunt: quem libenter concedimus sufficere in defectu alterius, modo fateantur Lutheranismi Defensores, saltem talem ad salutem

con-

consequendam simpliciter esse necessarium, & absque alterutro neminem salvari posse. Neutrum verò horum censet dogma necessarium. Nec desiderium aut votum baptismi aquæ requirit, sed solam negationem contemptûs. Præterea nec bonus Latro in Cruce Dogma Lutheranismi fulcit, qui absque baptismo Paradisum est ingressus. Necdum enim lex de Baptismi necessitate ad salutem fuerat lata, quando cum Salvatore nostro mortem obivit, ut patet ex Evangelio Matth. c. 28. v. 19. & Marci cap. 16. v. 16.

DOGMA XI.

Sacrilegium est, in administratione Eucharistiæ Calicem alicui denegare: quia Christi præceptum est: Bibite ex eo omnes.

HOC illud est Dogma, quo rudem plebeculam maximè illaqueant, & tenent Prædicantes Lutherani. Adeò enim illo Christi dicto ad Apostolos, *bibite ex eo omnes*, ipsam ludunt, ut etiam grande sacrilegium eos committere proclament, qui Calicem communicantibus negant. Legitur in Probat. Papatûs D. Schelvigij cap. 17. Ex illo autem

Infertur *imo.* Ergo Parens Lutheranismi sacrilegus fuit, qui se se suósque alterutra specie, sive Panis, sive Vini, contentos fore dixit, si utraq; species in Ecclesia Catholica concederetur. Tunc enim ipse, & reliqui Ministri vel Panem, vel Vinum suis asseclis subtraherent, & sic juxta Dogma sacrilegium commissuri, & consequenter sacrilegi futuri erant. Verba illius affero, quæ de formula Missæ scribens, exaravit: *Si quo casu Concilium id statueret, aut permitteret* (scilicet ut sub utraq; specie communio S. ministretur) *tunc dicimus, minimè omnium nos velle utraq; specie potiri.*

 tiri.

tiri. Immò tunc primùm in deſpectum tam Concilij, quàm Statuti ipſius, vellemus, aut alterutrà tantùm, aut nequaquam utráq; potiri. Ex quo Lutheri ſenſu, facilè vides, eum, aut nullum Jus ad utramque ſpeciem communicantibus à Chriſto conceſſum agnoviſſe; aut ipſum cum ſuis aſſeclis ſacrilegum in actu exercito futurum fuiſſe, ſi Eccleſia Catholica ſuis Calicem conceſſiſſet. Quod ſi feciſſet, & Lutherus verbo ſtetiſſet, ſanè nunc Lutherani carerent in ſua Cœna Calice: adeoq; omnes Miniſtri ſacrilegi eſſent. Idem præterea Lutherus, ſuadet Boëmis in ſua Epiſtola, potiùs pacem & unitatem à Chriſto præceptam ſectari, quàm de ſpeciebus Euchariſticis litigare. Rationem affert: *Quia Chriſtus hac de re nihil tanquam neceſſarium præcepit.* Si ità eſt, ergo ex Lutheri Confeſſione illud: *bibite ex hoc omnes*, non eſt præceptum obligans ſub ſacrilegij crimine ad præbendum Calicem omnibus communicantibus. Confirmat hæc idem Patriarcha ſcribens ad Nobilitatem Chriſtianam: *Neutrum*, inquit, *eſſe cum errore conjunctum* (nimirum, ſive unius, ſive utriusq; ſpeciei miniſtratio) *Quemadmodum omni errore vacat, quòd Sacerdotes alio, quàm Laici habitu utantur.* Ergo Lutheraniſmi author ipſe Dogma evertit.

Infertur *2do.* Ergo ille ſacrilegium committit, qui nihil ſacri ſurripit. Dum enim communicanti ſub ſpecie panis, Calix non miniſtratur, nihil ſacri, ultra acceptum ſub panis ſpecie, eidem ſurripitur. Nam *ſacrum*, quod communicanti jure debetur, eſt Corpus & ſangvis Chriſti. Atqui ſub ſola ſpecie Panis accipit Corpus & ſangvinem Chriſti. Chriſtus enim in Euchariſtia non eſt diviſus, ità ut ſub ſpecie Panis ſolum ſit Corpus, & ſub ſpecie Vini ſolus ſangvis, ùt etiam ſanior jam Lutheraniſmus admittit, eſto fortaſſe plebecula in oppoſitum ſit perſuaſa, ſic quondam edocta. Ratio eſt, *Quia Chriſtus non moritur amplius*, Paulo docente ad Rom. cap. 6. adeoq; ſangvis illius non ſeparatur quoq; am-

ampliùs à Corpore, nec Corpus à sangvine. Ergo esto communicanti non ministretur Calix, nihil eidem sacri surripitur. Sola igitur vini species illi negatur, quæ per se non est quid sacrum. Nam esto Calix benedictus sit sacer, & contineat Sangvinem & Corpus Christi sub specie vini, tamen ultra id quod continet species panis, nihil sacri in se habet. Unde quamvis communicanti negetur, nihil sacri, ultra acceptum sub specie panis, eidē denegatur. Nisi contendas, idem ipsum illi quoque altera vice ministrandum esse sub specie altera, de quo litigamus. At nullum inde sacrilegium evinces, ut claré patet.

Infertur *3tio.* Ergo sacrilegium commisit Christus Dominus, quando Discipulos in Emaus Calice privavit, solo Pane Eucharistico illos reficiens (ùt cum S. Augustino sentit S. Chrysostomus, Beda, Isichius, Theophilactus &c. in hunc locum scribentes:) cujus virtute aperti sunt oculi eorum, ut eum agnoverint in fractione panis, non in porrectione Calicis. Fecit enim contra jus omnibus communitantibus datum, Calicem eis non ministrando.

Infertur *4to.* Ergo Christus doctrinâ suâ sciens ac volens, exercendis sacrilegiis dedit occasionem, dum dixit: *Non Moyses dedit vobis Panem de cœlo, sed Pater meus dat vobis Panem de Cœlo verum. Panis enim Dei est, qui de cœlo descendit, & dat vitam Mundo* Joan. cap. 6. v. 33. *Hic est Panis vivus de cœlo descendens, ut siquis ex ipso manducaverit, non moriatur.* Ibid. *Siquis manducaverit ex hoc Pane, non morietur in æternum.* Ibid. *Panis quem ego dabo, Caro mea est pro mundi vita* v. 52. Præterea: *Si quis manducat me, & ipse vivet propter me.* Ibid. Item: *Qui manducat hunc Panem vivet in æternum.* Ibid. Si enim soli manducationi Panis Eucharistici vitam æternam promittit, nullam Vini, aut Calicis mentionem faciens, sanè sciens, ac volens dedit occasionem

sacrilegijs, quæ ex mente Lutheranismi exercet Ecclesia Catholica, dum Communicantibus Calicem non ministrat. Ex his enim Christi Oraculis sufficiens habet fundamentum, unam duntaxat speciem Panis communicantibus ministrandi. Quod non habuisset, si Vini, aut Calicis mentionem ibidem fecisset. Ubi esto quibusdam locis mentionem faciat bibendi sangvinis sui, nunquam tamen sub specie Vini, seu ex Calice bibendum præcipit. Supponens haud dubiè, cum manducatione Corporis sui, etiam sangvinis, qui simul bibatur, conjunctionem, adeò, ut uno sinè altero frui repugnet. Atqui illatum pugnat contra infinitam Sanctitatem Divinam, & Providentiam Christi, ad quam spectabat, tantùm Ecclesiæ suæ errorem, ac sacrilegium avertere, aut saltem tam apertam occasionem non præbere ad sacrilegia exercenda. Ergo vel illa accusanda, quod est impium atque blasphemum, vel Dogma ruat, utpote Christi effatis difforme.

Infertur 5to. Ergo etiam Apostoli sacrilegium commiserunt, quando Discipulis, & Neophitis, tantùm sub specie Panis, Eucharistiam ministrârunt, Actor. c. 2. ubi v. 42. scribitur: *Erant perseverantes unanimiter in doctrina Apostolorum. & Communicatione fractionis Panis: seu Eucharistiæ,* ùt Syriacus textus habet. Et eodem libro cap. 20. v. 7. *Una autem Sabbati, cùm convenissemus ad frangendum Panem, Paulus disputabat cum ejs &c:* Quo tempore Communicantibus Calix non est ministratus ab Apostolis. Hunc enim minimè subticuisset sacer Scriptor Evangelista Lucas. Sicut non subticuit à Christo ministratum Apostolis in ultima Cœna, quando hoc Sacramentum est institutum. Nec illos Sacrilegio eximit explicatio, petita ex Synecdoche, quam Lutheranismus prætendit; positam scilicet partem pro toto, asserens. Hæc enim non est clarum Dei Verbum, quod in hoc negotio requiritur, sed est privati cerebri sensus.

Infer-

Infertur *6to* Si illud: *bibite ex eo omnes*, est præceptum, obligans omnes Christianos ad bibendum calicem; ergo etiam illos obligat, qui naturæ vitio vinum nauseant, quales non pauci reperiuntur: Præterea illos, quorum Regiones non ferunt vites, nec aliunde pro communicantibus tanta vini copia haberi potest. Atqui hoc præceptum esset contra naturam multorum, multisqꝫ nationibus ferè impossibile ad adimplendum: quod profectò Divinæ Providentiæ notam inurit, atqꝫ Jugum Christi, aliàs ùt suave, ac leve ab ipsómet commendatum, gravissimum, & importabile reddit.

Infertur *7mo.* Si illud, *bibite ex hoc omnes*, concernit omnes Christianos, ergo omnes Christiani scandalum patiuntur in Christo, omnes eum derelinquunt, omnes ab ipso fugiunt. Quia non minùs tempore ejusdem Cœnæ Christus dixit: *Omnes vos hac nocte scandalum patiemini in me*, Matth. c. 26. v. 31. atqꝫ dixit: bibite ex hoc *Omnes*. Præterea illi, quibus dixit: *bibite ex eo omnes*: relicto eo *Omnes fugerunt*, Matth. 26. v. 56. Si ergo in priore textu per ly *Omnes*, significantur omnes Christiani in ordine ad bibendum Calicem, etiam in altero per ly *Omnes*, significari debent omnes Christiani in ordine ad patiendum scandalum, ad Christum derelinquendum, & ab ipso fugiendum. Id autem quam rationi & experientiæ sit consentaneum, facilè vides. Nisì Lutheranismus illud ideo admittat, quia Christum in vera Ecclesia deseruit, & ob scandala, quæ passus est, sed Pharisaica, ab eo aufugit, contra ipsiusmet Patris sui salutarem admonitionem, dicentis: *Nulla scandala posse tanta esse iu Ecclesia Romana, ob quæ nos ab illa seperare debeamus. Siquidem Christus propter Diabolum* (id est scandala) *non est deserendus*. Tom. 2. Witenb. anno. 1548. fol. 7. per Luft.

Infertur *8vo.* Si illud, bibite ex hoc *omnes*, concernit omnes Christianos, ergo etiam omnes Christiani habent potestatem faciendi id, quod Christus imperavit illis, quibus dixit: bibite ex hoc *Omnes*. Nempe consecrandi Panem, & Vinum in Corpus, & Sangvinem Christi. Habent insuper potestatem Clavium, & absolvendi à peccatis. Quia iisdem, quibus dixit, bibite ex hoc *omnes*, dixit etiam tunc temporis: *hoc facite in meam commemorationem.* Quibus verbis potestatem illis concessit, conficiendi Corporis & sangvinis sui. Nam aliunde hæc potestas ostendi non potest. Nec ullum ex Omnibus illis eâdem privavit. Præterea ijsdem, esto alio tempore dixit: *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis.* Joan. c. 20. v. 23. Potest igitur quilibet Christianus alteri peccata remittere potestate Divina. Si ità est, ùt concedit primus Lutheranismi auctor Tom. 7. Vitenbergæ impresso per Joannem Lufft Anno. 1554. fol. 4. & 383. Ergo non est necesse, ut populus adeat prædicantes, ac Ministros pro absolutione à peccatis, vel pro annuntiatione remissionis eorundem. Quilibet enim Christianus poterit hoc ministerium præstare alteri. Nam ut Lutherus loco citato docet: *Quicunq; Christianus dicere potest, DEus tibi ignoscit peccata tua in nomine Christi, & tu verbum illud forti fide capere potes, quasi tibi illud DEus diceret, tunc certò in illa fide à peccatis absolveris.* Quam potestatem absolvendi à peccatis, non solùm omnibus Christum dedisse, sed etiam executionem ejusdem imperâsse, asserit Tomo citato, fol. 383. Hanc si ejusdem asseclæ executioni mandarent, imperium Christi exequendo, profectò Ministri eorum paucos Confessionis nummos, aliàs Beicht-pfennig/ numerarent. Præterea non est necesse, ut populus adeat Ecclesiam sumendæ Cœnæ gratiâ. Poterit enim quilibet domi suæ illam conficere, non secus quàm Minister.

Infertur *9no.* Si per illud *Omnes*, intelliguntur omnes Christiani per ordinem ad sumendum Calicem, ergo etiam omnib⁹ in mundum universum eundum est ad prædicandum Evangelium, & ad baptisandas gentes. Nam quibus Christus dixit: *bibite ex eo omnes*, ijsdem quoq; dixit: *Euntes in mundum universum prædicate &c. baptisantes eos &c.* Si enim in Cœna Apostoli repræsentant omnes Christianos (cum præter Apostolos nemo alius eidem adfuerit, ut ex S. Scriptura patet) cur non etiam hic? Maximè cùm Christus Apostolis dixerit: *Quod vobis dico, omnibus dico.* Qua sententia etiam pro Calice bibendo solemniter utitur Lutheranismus; & cur non pro Prædicatione & alijs ministerijs obeundis. Siccíne ad Calicem tantùm, non verò etiam ad labores, cum Apostolis anhelat? In Cœna duntaxat paritatem, non in alijs exigit?

DOGMA XII.

Justificatio formaliter consistit in eo, quòd nobis Deus peccata condonet, & Christi Justitiam imputet.

Præsente dogmate pugnat Lutheranismus contra Doctrinam Catholicam de Justificatione consistente defactò formaliter, non in condonatione extrinseca peccati, & imputatione Justitiæ Christi, sed in Infusione alicujus doni incompossibilis cum peccato, & jure Divino ad puniendum peccatorem pœnâ æternâ, quod donum gratiam justificantem appellamus, quam Deus homini donat intuitu meritorum Christi. Non obstante, quidquid de possibili sentiant aliqui Scholastici, docentes, posse remitti peccatum per puram condonationem extrinsecam, & sinè ullo actu peccatoris. Non enim nobis, & Lutheranismo res est de possibili, sed de eo, quod fit defactò in Justificatione peccatoris.

toris 15. Dogma totidem verbis complexus eſt D. Schelvigius in Probat: Papatûs cap. 19. Illo poſito.

Infertur *1mo.* Ergo macula intrinſeca animæ per peccatum contracta, tollitur per id, quod eſt extrinſecum animæ, nempe per condonationem Divinam, & imputatam Chriſti Juſtitiam. Si ità eſt: ergo poteſt defactò aliquis eſſe juſtus intrinſecè per juſtitiam ſibi extrinſecam, innocens intrinſecè, per innocentiam extrinſecam alienam; Filius Dei, per filiationem extrinſecam &c: Atqui hæc omnia repugnant ſanæ doctrinæ, & menti: ſiquidem talia ſunt compoſita, & tales habent denominationes, quales ſunt eorum formæ, ùt etiam incipientes in Scholis nôrunt. Si ergo condonatio, & imputatio Juſtitiæ Chriſti eſt merè extrinſeca homini, quomodo poteſt eſſe juſtus intrinſecè, innocens &c.

Infertur. *2do* Ergo effici conſortem Naturæ Divinæ, ùt loquitur S. Apoſtolus Petrus Epiſt. 2. c. 1. v. 4. (quod eſt formaliter juſtificari) nihil eſt intrinſecum homini: cùm Juſtificatio formaliter conſiſtat in condonatione Dei, & imputatione Juſtitiæ Chriſti, quorum utrumque homini eſt extrinſecum. Ergo erravit S. Paulus de Juſtificatione ad Roman. c. 5. v. 5. aſſerens: *Charitas Dei diffuſa eſt in cordibus noſtris per Spiritum S. qui datus eſt nobis.* Si enim Juſtificatio, quæ utique eſt charitas Dei erga peccatorem, ſolùm conſiſtit in dictis exterioribus, & non eſt donū aliquod nobis intrinſecum, certè falſum eſt, Charitatem Dei diffuſam eſſe in cordibus noſtris per Spiritum S.

Infertur *3tio.* Ergo renovatio Spiritûs, quam Apoſtolus præcipuè in peccatoribus exoptat; *Renovamini Spiritu mentis veſtræ.* Ephes. c. 4. Nihil eſt intrinſecum menti, ſeu animæ, eſtque ſolùm extrinſeca illi ſicut veſtis corpori, vel albedo parieti. Atqui anima formas extrinſecas renovantes illam non ſuſcipit,

quia ex ratione Spiritûs earum incapax est, aliàs potest esse alba, vel rubra &c. Ergo si renovatur, debet renovari per aliquid sibi intrinsecum, & Spirituale, sibi proportionatum.

Infertur *4to.* Ergo potest aliquis esse formaliter amic⁹ Dei, sinè formali amicitia Dei. Potest enim justificari (quod est formaliter fieri amicum Dei) per id, quod non est formaliter amicitia Dei. Nam condonatio Dei, & imputatio Justitiæ Christi, non sunt formaliter amicitia Dei, quæ consistit *in effusione Charitatis Dei in cordibus nostris per Spiritum S.* ùt Apostolus immediatè dixit.

Infertur *5to.* Ergo potest homo sinè participatione naturæ Divinæ esse filius Dei: cùm omnis justificatus sit filius Dei. Atqui nec condonatio peccati, nec justitia Christi imputata (in quibus formaliter consistit Justificatio Lutherana) est participatio Naturæ Divinæ. Nam condonatio peccati est actus voluntatis Divinæ, quo jam non vult imputare peccatum homini. Justitia verò Christi est ejus Sanctitas. Jam autem participatio Naturæ Divinæ est donum nobis intrinsecum, de quo S. Petrus Epist. 2. c. 1. v. 4. *Per quem* (id est JEsum Christum) *maxima, & pretiosa nobis promissa donavit* (scilicet Deus) *ut per hæc efficiamini Divinæ consortes naturæ.* Ergo si Justificatio consistit in illis extrinsecis, potest homo sinè participatione Naturæ Divinæ esse Filius Dei.

Infertur *6to.* Ergo potest homo fieri hæres Dei, & cohæres Christi absq; jure ad hæreditatem Dei. Hoc enim jus formaliter non est condonatio peccati, neque justitia Christi, quidquid sit, loquendo efficienter. Cùm ergo in Justificatione homo fiat formaliter hæres Dei, & cohæres Christi, quæ forma ad esse hæredis neque est condonatio, neque Justitia Christi; ergo fit hæres Dei, & cohæres Christi sine forma, seu jure ad esse talis.

Infertur 7mo. Ergo nullus poteſt creſcere in Juſtitia & ſanctitate. Cùm enim Juſtificatio formaliter conſiſtat in condonatione Divina, & Imputatione Juſtitiæ Chriſti, in neutro horum quiſquam creſcere poteſt; ſiquidem non admittunt augmentum. Condonatio enim Divina eſt actus voluntatis Divinæ, qui in inſtanti Juſtificationis tranſit, & illâ peractâ non manet. At eſto maneret, à me augeri non poſſet, ut ratione ejus in ſanctitate & juſtitia augear. Juſtitia quoq; Chriſti à me augeri non poteſt. Eſt enim aliquid divinum ratione perſonæ Divinæ, à qua procedit, & dignitatem accepit: in homine autem non eſt perſonatalis. Ergo ſi homo juſtificatur formaliter per imputationem ſanctitatis, & Juſtitiæ Chriſti, non poteſt creſcere in Juſtitia, & ſanctitate. Atqui hoc S. Scripturam ſubruit, quæ nos vult in his creſcere, & augeri, Apocal. c. 22. v. 11. *Qui juſtus eſt, juſtificetur adhuc; & qui Sanctus eſt, ſanctificetur adhuc.* Ergo vel hæc ſententia ex Biblijs eradenda, vel Dogma, quod illam devaſtat, eliminandum.

Infertur 8vo. Ergo omnes juſtificati ſunt pares in juſtitia, & ſanctitate, nec unus alio juſtior eſt, aut ſanctior: ſiquidem eâdem Chriſti juſtitiâ omnes juſtificantur formaliter. Si conſequentia tenet, ergo Scriptura S. falſò aſſerit: *Quicunq; humiliaverit ſe ſicut parvulus iſte, hic major eſt in Regno cœlorum.* Matth. 18. v. 4. Si enim omnes ſunt pares, quomodo ille major eſt, qui ſe ut parvulus humiliat. Et. 1. Corinth. c. 15. v. 41. *Alia eſt claritas Solis, alia claritas Lunæ, alia claritas Stellarum: Stella enim à Stella differt in claritate, ſic & reſurrectio mortuorum.* Ubi utique per Ly *major*, per ly *alia claritas*, major ac diverſa juſtitia, & ſanctitas electorum exprimitur, qua unus alium ſuperat; & quã in cœlo majus, & diverſum præmium conſequitur.

Infertur 9no. Ergo quilibet juſtificatus æquè juſtus eſt, atq;

Christus. Quia eâdem Christi justitiâ justus est, quâ justus est Christus, ut Dogma asserit. Sicut dum per eandem albedinem paries B. est albus, per quam albus est paries A. æquè paries B. est albus, atq; albus est paries A. Ergo homini etiam æquale præmium gloriæ debetur cum Christo; quia æqualis sanctitas, æquale exigit præmium. Quod & Scripturæ, & rationi repugnat. Alia enim est claritas Solis, id est Christi, qui est Sol Justitiæ teste S. Scriptura: alia Stellarum, ùt immediatè dixit Paulus.

Infertur *10mo.* Ergo propter injustitias nostras, quas in se recepit Christus, fuit injustus intrinsecè, & erat odio Patri æterno tanquã inimicus. Si enim homo propter Justitiã Christi sibi tantùm imputatam est justus intrinsecè, & amicus DEI: etiam Christus per peccata in se recepta, ac sibi spontè imputata, necessariò debuit esse injustus intrinsecè, & odio Patri tanquam inimicus. Si ità est: ergo falsò ait Pater æternus: *Hic est filius meus dilectus.* Matth. 3. v. 17. Quomodo enim dilectus, si injustus intrinsecè.

Infertur *11mo.* Ergo Christus est formaliter Sapientia nostra, & per illum etiam formaliter sapientes sumus. Sicut enim ideo formaliter justi sumus, quia nobis justitia Christi imputatur, dicente Apostolo 1. Corinth. 1. v. 30. *eum nobis factum justitiam, & Sanctificationem*: ità ibidem dicit: *factum nobis Sapientiam à Deo.* Ergo per Christum sumus formaliter sapientes. At quid insipientiùs, & rectæ rationi magìs dissonum dici potest?

Infertur *12mo.* Ergo potest aliquis immutari intrinsecè absque intrinseco sibi illo, à quo dicitur formaliter immutatus, & & regeneratus: transibitque ab esse injusti intrinsecè, ad esse justi absq; omni mutatione intrinseca; cùm Justificatio formalis, per quam sic transit, ei omnino sit extrinseca. Quod rursus rectam rationem subruit, præsertim cùm homo in Justificatione

nihil agat, ut vult Lutheranismus.

Infertur *13mo.* Ergo justificatus non vivit, sed etiam post Justificationem manet spiritualiter mortuus in anima, sicut erat, dum esset injustus & peccator. Si enim viveret, maximè viveret ratione Justificationis: Atqui ratione hujus non potest vivere, quia hæc est extrinseca animæ, siquidem formaliter est condonatio peccati, & imputatio Justitiæ Christi, quarum neutra est intrinseca animæ. Jam autem nihil potest vivere per aliquid sibi merè extrinsecum. Aliàs lignum, aut lapis posset vivere per animam, aut vitam alienam: quod iterum experientiæ, & rectæ rationi dissonum.

DOGMA XIII.

Per solam Fidem justificamur.

SOlennissimum Lutheranismi Dogma. Eo persuasus omnia Justificationem præcedentia supernaturalia opera, quibus ad eam peccator gratijs prævenientibus adjutus, disponitur, à Justificatione excludit, sola Fide contentus, quâ se Justitiam Christi apprehendere autumat, & sic ejusdem imputationem, ac condonationem Dei consequi arbitratur. Illo admisso

Infertur *1mo.* Ergo omnes, qui fidem Christi habent, sunt justi, & sancti. Fides enim sola illos justificat, & sanctificat. Sed adulteri, homicidæ, malefici, blasphemi, ebriosi &c: &c: Christiani habent Fidem Christi: nam si eos interroges, utrùm in Christum credant? Absque dubio affirmabunt. Neque peccata ista. Fidem illis auferunt: non enim Fidei, sed Charitati Divinæ repugnant. Quia potest homo actu in Christum credere, & simul gravissima scelera perpetrare, etiam gratis admissis Fidei constitutivis, nempe cognitione, assensu, & fiducia, ut vult Luthera-

theranismus apud D. Schelvigium in Probat: Papatûs cap. 20 de Justific. Quid enim repugnat, ut actu peccans Deum cognoscat, ut loquenti assensum præbeat etiam in ijs, quæ peccantibus minatur, & ut fiduciam quoque in illo habeat? Nihil profectò Lutheranismus ostendet. Ergo ejus adulteri, homicidæ malefici &c. scelerati sunt sancti.

Infertur *2do*. Ergo nullus, qui fidem Christi habet, condemnabitur. Quia nullus justus, nullus sanctus condemnabitur. Sed omnis qui fidem Christi habet, est justus, & sanctus; siquidem per illam solam homo justificatur, & sanctificatur. Sicut omnis paries, qui habet albedinem, est albus, quia sola albedine dealbatur. Ergo Christus falsò dixit: *Non omnis qui dicit mihi Domine, Domine intrabit in Regnum Cælorum*. Matth. 7. v. 22. Id est non omnis, qui in me credit, & me suum Dominum profitetur, ac fiduciam in me reponit, salvabitur. Ratio consequentiæ est: Quia omnis hanc Fidem habens, justus est sola Fide, ut dogma asserit: Omnis autem justus intrabit in regnum cœlorum.

Infertur *3tio*. Ergo omnis qui credit in Christum, est filius, & amicus Dei. Nam omnis in Christum credens, secundùm dicta superiùs est justus, siquidem Christi fidem habet, quâ solâ justificatur. Illatum autem subruit sententiam Joannis Evangelistæ, qui cap. 1. v. 12. recipientibus Christum, id est in ipsum credentibus, solùm ait *potestatem esse datam, ut filij Dei fiant*: Non verò quòd hoc ipso sint filij Dei, quia illum recipiunt per Fidem. Immò ipsius Christi effatum evertit, qui non præcisè solùm credentibus sed simul exequentibus præcepta sua, amicitiam suam appromisit: *Vos amici mei estis, si feceritis, quæ præcipio vobis*. Joan. 15. v. 14.

Infertur *4to*. Ergo sinè prævio timore Dei, sinè fiducia,

ſinè ſpe, ſinè charitate juſtificatur adultus peccator: Nec opera hæc, ſeu actus virtutum internè eliciti, neceſſarij ſunt ad Juſtificationem tanquam diſpoſitiones morales. Siquidem peccator per ſolam fidem juſtificatur. Atqui hoc dicere, eſt ſcripturam devaſtare. Quomodo enim ſubſiſtent Divini eloquij ſententiæ? *Prima*, negans non timorato Juſtificationem Eccl. 1. v. 28. *Qui ſinè timore eſt, non poterit juſtificari. Altera*, promittens timore prædito Juſtificationem, Proverbiorū 14. v. 27. *Timor Domini fons vitæ*: Et cap. 19. v. 23. *Timor Domini ad vitam* Et cap. 16. v. 6. *In Timore Domini declinatur à malo*: Quæ declinatio à malo utiq; debet eſſe ante Juſtificationem. Immò Timori tribuit vim etiam expellendi peccatum Eccl. 1. v. 27. *Timor Domini expellit peccatum. Tertia*, ante remiſſionem exigens fiduciam Matth. 9. v. 2. *Confide fili, remittuntur tibi peccata tua. Quarta*, attribuens etiam Spei ſalutem, Rom. 8. v. 24. *Spe ſalvi facti ſumus*. Tandē de Charitate ad Galat. 5. v. 6. Neq; Circumciſio aliquid valet, neq; præputium, *ſed Fides quæ per dilectionem operatur*. Immò Chriſtus ipſe Juſtificationem peccatoris non minùs Charitati, atq; Fidei adſcripſit, Luc. 7 v. 47. *Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multùm*. Quidquid ſit, quod poſtea dixit: *Fides tua te ſalvā fecit*. Affirmatio enim uni⁹, non eſt excluſio alteri⁹. Adeo ut S. Joannes Apoſtol⁹ concludat: *Qui non diligit, manet in morte*. Epiſt. 1, c. 13. v. 15. En quanta ſtrages S. Scripturæ, ſi dogma ſubſiſtit.

Infertur *5to*. Ergo ſinè propoſito emendationis vitæ ſuæ peccator juſtificatur, modò fide Juſtitiam Chriſti apprehendat, eſto nolit mores mutare in melius. Quia hoc propoſitum nihil confert ad juſtificationem, quandoquidem illam ſola Fides procurat. Quò igitur illud Prophetæ Ezech. cap. 18. *Projicite à vobis omnes prævaricationes veſtras, & facite vobis cor novum*. Et illud Iſaiæ. 1. v. 16. *Quieſcite agere perverſè*. Et cap. 55.

v. 7.

v. 7. *Derelinquat impius viam suam*: Aliaque plura, quæ propositum novæ vitæ exigunt ante Justificationem peccatoris.

Infertur *6to.* Ergo adultus gentilis, aut Hebræus potest negligere Baptismum. Cùm enim ante Baptismum instruatur in Fide, communiter ante eumdem credit in Christum, si verè fidem Christianam amplectitur: atq; hoc modo per Fidem ante Baptismum justificatur; & consequenter, esto Baptismum nolit suscipere, dummodo illum non contemnat (ut superius dictum) salvabitur. Atqui hoc S. Scripturam devastat, ut suprà Dogmate X. ostensum. Fidei namque per Ly, *Et* inseparabiliter baptismum conjunxit Christus in suo Oraculo *Qui crediderit, Et baptisatus fuerit* &c. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu S. &c.*

Ac sanè mirum est, particulam *Et* in allata S. Scripturæ sententia, non habere vim inseparabilis conjunctionis Fidei cum Baptismo, cùm in aliis textibus, v. g. de Communione sub utraq; specie eandem habere contendat Lutheranismus, esto non ignoret, Baptismum magis esse necessarium ad salutem, quàm sumptionem Eucharistiæ: adeoque magis exponi hominem periculo damnationis æternæ privatione Baptismi, quàm Eucharistiæ Sacramenti. Et sic in illa Christi sententia: *Nisi manducaveritis Carnem filij hominis, & biberitis ejus sangvinem, non habebitis vitam in vobis. Qui manducat meam Carnem, & bibit meum sangvinem, habet vitam æternam.* Joan. c. 6. adeò particulam *Et*, inseparabilem vim manducationis cum Calice habere contendit, ut nisi sumptionem Calicis cum manducatione Panis Eucharistici conjungamus, vitam æternam consequi non possimus. Cùm tamen non solùm ex Hebræo, & Græco textu demonstrent Catholici, particulam *Et*, in hac sententia significare disjunctivam particulam *Aut*, sed etiam aliquot claras sententias ex eodem Capite producant, quæ soli manducationi Panis Eucharistici eundem

undem effectum attribuunt v. g. *Qui manducat hunc Panem vivet in æternum* v. 59. *Qui manducat me, & ipse vivet propter me.* v. 58. &c. Lutheranismus autem contra necessitatem Baptismi, nihil præter argutiolas sui cerebri affert. Quia scilicet Christus Dominus in sententia condemnatoria non expressit privationem Baptismi, sed solius Fidei, dicendo: *Qui autem non crediderit condemnabitur.* Marci. 16. v. 16. Unde infert, solam incredulitatem condemnare, non autem Baptismi privationem. Quasi vero nesciret incredulitatem sufficere ad condemnationem, cùm Christus clarè denuntiet, incredulos jam judicatos esse, Joan. 3. v. 18. Unde præter incredulitatem non erat necesse, etiam privationem Baptismi exprimere. Siquidem infidelis ejusdem incapax est. Verùm quòd Fidei Baptismum quoque adjunxerit, id voluntatis Divinæ fuit decretum, ut per illum tanquam per medium, salutem consequamur.

Infertur 7*mo*. Ergo nullus actus supernaturalis, nulla dispositio moralis cum gratia illuminante, & præveniente facta, simul cum Fide ad Justificationem concurrit; siquidem sola Fides Justificationem præstat. Atqui hoc S. Scripturam devastat. Nam Apostolus Jacobus cap. 2. ait: *Abraham Pater noster, nonne ex operibus justificatus est, offerens Isaac filium suum.* Et universaliter ibidem docet: *Videtis quoniam ex operibus justificatur homo, & non ex fide tantùm* v. 24. Ut intelligamus, eum non de secunda Justificatione, seu de augmento illius, sed de prima loqui, ad quam se homo injustus, seu peccator, per opera, id est actus supernaturales Fidei, Spei, Timoris, Amoris, Pœnitentiæ &c: Gratiâ Dei adjutus disponit. Neque hoc Apostoli Pauli sententiam evertit, quâ ad Roman. 3. v. 28. docet: *Nos justificari per Fidem sinè operibus legis.* Per opera enim legis intelligit opera legis antiquæ Legalia, & Ceremonialia, facta viribus naturæ sinè Fide,

&

& gratia Christi, qualia jactabant Judæi. Quæ etiam nos à Justificatione procul arcemus, illaque sola requirimus, quæ sunt ex Fide, & gratia Christi: non ut Justificationem de condigno mereantur, sed ut ad illam disponant hominem injustum, & sic simul cum Fide, tanquam radice Justificationis, per donum gratiæ DEI intrinsecum, efficiant justum.

Infertur *8vo.* Ergo homo justificatus non reviviscit spiritualiter, sed manet mortuus spiritualiter, si sola fide justificatur. Nam *Fides*, ut S. Apostolus Jacobus c. 2. v. 26. docet: *Sine operibus mortua est.* Si ergo sola Fide, omnibus operibus spoliata, homo justificatur, Fide mortua justus efficitur. Sic autem justificatus non vivificatur spiritualiter. Per id enim, quod mortuum est, qualis est Fides sinè operibus, non potest vivificari. Quia nemo dat, quod non habet. Si ergo Fides absque operibus vitâ caret, utpote mortua, illam certè non potest dare. Nec prodest Lutheranismo contra illatum S. Apostoli Pauli effatum: *Justus ex Fide vivit.* Rom. 1. v. 17. Apostolus enim non intelligit Fidem mortuam, qualis est sinè enumeratis suprà operibus supernaturalibus, sed vivam, qualis est cum dictis operibus: & quæ, ut alibi asserit, *per charitatem operatur*, Galat. 5. v. 6. sinè qua nihil prodest, 1. Corinth. 13. v. 2. &c.

Infertur *9no.* Ergo per solam Fidem justificatus, esto non habeat Charitatem, est aliquid coram Deo. Nam justificatus, est amicus, & filius, est hæres Dei, igitur non est nihil, sed aliquid. Atqui illatum devastat Apostoli sententiam 1. Corinth. 13. v. 2. *Si habuero omnem Fidem, ità ut montes transferam, Charitatem autem non habuero, nihil sum.* Si nihil est cum omni Fide absq; Charitate, etiam nihil est cum Fide Lutheranismi justificante sinè Charitate, quam per Ly *Omnem Fdem* significat, & in Sycategoremate universali complexus est, ne locus ullius

effugij pateat.

Infertur 10mo. Ergo poteſt iratus fratri ſuo, juſtificari, eſto illi offenſam nolit condonare, modò credat in Chriſtum, ejúſq; merita Fide apprehendat: ſiquidem hæc ſola juſtificat, nec offenſæ condonatio (utpote Charitatis actus) ad Juſtificationem conducit; cùm nulla requiratur diſpoſitio ad illam, quæ ſe habeat vel per modum meriti de congruo, vel ſaltem conditionis neceſſariò requiſitæ. Atqui hoc admittere, eſt Scripturam devaſtare. Nam manifeſta eſt ipſius Divinæ Veritatis ſententia: *Si non dimiſeritis hominibus, nec Pater veſter dimittet vobis peccata veſtra.* Marci 11. v. 26. Nec aliter nobis peccatorum noſtrorum remiſſionem à DEo promittit, niſi ſub conditione remiſſionis offenſæ, proximis noſtris impertiendæ: *Si enim dimiſeritis hominibus peccata eorum, dimittet & vobis Pater veſter cæleſtis delicta veſtra.* Matth. 6. v. 14. Sin ſecùs feceritis, nequaquam dimittet, ùt ibidem repetit. Ergo ante Juſtificationem oneroſa hæc conditio adimplenda, cujus adimpletio determinet Patrem cæleſtẽ ad remiſſionem peccatorum noſtrorum.

Infertur 11mo. Ergo falſum eſt parvulos non baptiſatos ſalutem conſequi, ſi in hoc ſtatu fatis concedant, ùt vult Luteraniſmus ſaltem ex parte. Quia nullus, niſi fuerit juſtificatus, ſalutem conſequetur, ùt certum eſt; ſed parvuli non baptiſati, non ſunt juſtificati: quia Fidem juſtificantem non habent, quâ ſolâ juſtificentur, Hæc enim ipſis à Luteraniſmo ſolùm conceditur, dum actu baptiſantur. Ergo ſi non ſunt baptiſati, fidem, quæ ſola juſtificat, ùt vult Lutheraniſmus, non habuerunt: neq; dum moriuntur eandem eliciunt. Nam quâ ſententiâ S. Scripturæ teſte? Nec illos juvat Apoſtoli dictum 1. Corinth. 7. v. 14. Prolem vel unius parentis fide ſanctificari, ſeu mundari. Sanctitas enim illa, & mundities, quam hoc loco Fidelium Parentum prolibus conce-

concedit Apostolus, non significat internam animæ Justificationem, sed externam, & moralem honestatem coram hominibus. Irrepserat enim tunc falsa opinio apud Corinthios, quasi Matrimonium inter infideles contractum, altero Conjugum converso, dissolveretur, & infidelis Coniunx deserendus esset: quam refutat Apostolus ex absurdo consequente. Nimirum, quòd filij post alterius conjugis conversionem suscepti, forent illegitimi; cùm tamen passim sancti, id est, honesti & ex legitimo thoro nati habeantur. Etenim sanctificare, in SS. Literis juxta Hebraicum idioma, significat purgare, mundare, honestare. Et hoc sensu dixit Apostolus, conjugium infedelium altero converso, non tantùm nòn dissolvi, sed sanctificari, hoc est purgari à priori infamia. Priùs enim desperati, & incorrigibiles videbantur; jam præbent spem conversionis, cum maritus v. g. infidelis, uxoris conversæ permittat liberum comercium Religionis Christianæ.

Infertur *12mo.* Ergo non est orandum pro consequenda remissione peccatorum, sed duntaxat credendum, quòd DEus remittat peccata, seu quòd nobis imputet Justitiam Christi. Si enim sola Fides justificat, ità ut nihil cum illa ad hoc opus concurrat, Justificatio autem formaliter in eo consistit, quòd DEus peccata condonet, & justitiam Christi imputet, sanè ad condonationem peccatorum, in qua partialiter Justificatio consistit, nihil conducit Oratio. Ergo nos Christus frustra jubet orare: *Dimitte nobis debita nostra.* Vel enim justi, aut injusti sumus? Si justi: nulla habemus debita. Hæc enim essent, vel debita pœnæ, vel culpæ. Non debita culpæ, quia hæc non imputantur justo, sed meritis, & Justitiâ Christi conteguntur. Non debita pœnæ: quia hæc omnia simul cum culpa remittuntur, ùt vult Luteranism⁹. Si injusti sumus, frustra oramus. Oratio enim injustorum non

impetrat debitorum remiſſionem, in qua partialiter Juſtificatio Lutherana conſiſtit: aliàs illam mereretur ſaltem de congruo, quod Lutheraniſmus non admittit. Ridet enim merita de congruo reſpectu Juſtificationis.

Infertur *13mo*. Ergo qui actu graviter peccat, poteſt ſimul actu eſſe juſtus. Quia nihil prohibet, quominus dum actu peccat, etiam Fidei actum eliciat, quo merita Chriſti ſimul apprehendat, aut præhabita teneat, ne ipſi per peccatum elabantur. Nec Fides iſta erit mortua; quia erit illa, quæ fuit antequam peccaret, quam ſuppono, tanquam in juſto, fuiſſe vivam, maximè ſi illam ante peccati inchoationem cœpit elicere, & tempore peccati, ad intra continuavit. Deinde, quia per peccatum v.g. furti, non interiit Fides. Hoc namq; Fidem non deſtruit, nec illam mortificat, præſertim ſi alia opera adſint, ratione quorum poſſit vivere, ſi Fides per opera vivit. Quod ſi ita eſt, talis homo erit peccator, & ſimul juſtus. Peccator ob legis Divinæ transgreſſionem: Juſtus ob fidei exercitium, quæ illum juſtificat. Quid ad hæc recta Ratio?

Infertur *14mo* Ergo nullus Chriſtianus ratione commiſſi peccati, eſt tantùm peccator: ſed vel manet omnino juſtus, vel per peccatum fit infidelis, & Ethnicus. Si enim Chriſtianus dum actu peccat, manet fidelis, juſtus eſſe poteſt, ùt immediatè oſtenſum. Si per peccatum amittit Fidem; ergo non eſt fidelis, ſed infidelis, atque Ethnicus, & ceſſat per quodcunque peccatum grave eſſe membrum myſtici corporis Chriſti, quod eſt Eccleſia. Nec juvat ſi reponas, manere in illo fidem, ſed mortuam. Nam mortua fides vel eſſet actualis vel habitualis. Non manet actualis, quia hæc per peccatum eſt expulſa, dum viva fides actualis expelleretur, ità ut ne cadaver quidem illius remanſerit. Non enim fuit compoſita ex quibusdam duobus, quorum

uno sublato alterum remanere possit, ùt videmus in viventibus compositis materialibus. Nam Fides viva nihil utique simile habet; sed est actus simplex spiritualis vitalis, vivificatus per charitatem & gratiã habitualem, cujus vitalitate pereunte nihil ex eo remanet. Tũ etiã Fides illa non est habitualis: quia hanc Lutheranismus non admittit. Igitur nulla remanet in peccatore. Hoc autem dicere, est Lutheranorum Ecclesiam prorsus è vivis tollere. Cùm enim omnia illius membra peccatores se, & justè confiteantur: *Si enim dixerimus, quoniam peccatum non habemus, ipsi nos seducimus, & veritas in nobis non est.* 1. Joan. c. 1. v. 8. Nullam habent fidem, consequenter nullam spiritualem vitam: *Justus enim ex fide vivit*, Apostolo teste, Roman. 1. v. 20. Unde non est Ecclesia fidelium, sed infidelium, id est spiritualiter mortuorum, quia sinè ulla fide existentium.

DOGMA XIV.

Omnis Justificatus certus esse potest Fide Divina de remissione peccatorum suorum: immò certus esse debet sub interminatione pœnæ damnationis æternæ.

PRæsens dogma summis solatijs lactat Lutheranismi clientes. Illo enim persuasi de nullo dolore peccatorum, de nulla satisfactione pro eorundem pœnis, soliciti vivunt. Securi namq; sunt fide Divina, peccata sibi, tam quò ad culpam, quàm quò ad pœnam, remissa esse. Unde rident Catholicorum anxietates, quas exinde patiuntur. Habetur in Probat: Papatûs D. Schelvigij Cap. 20. Illo dato.

Infertur 1mo. Ergo nullus justificatus potest seriò orare Deum: *Dimitte nobis debita nostra.* Si enim ità supplicat, non credit fide Divina, remissa sibi esse peccata, quorum remissionem

nem hoc modo actu petit. Si autem fide Divina credit, ea sibi esse remissa, ùt quid pro eorum remissione supplicat? Aut ergo hanc petitionem frustra Orationi Dominicæ Christus inseruit, aut dogma non subsistit.

Infertur 2do. Ergo quilibet fidelium fidenter ac verè potest dicere: *Mundum est cor meum, purus sum à peccato.* Si enim quilibet certus esse potest fide Divina de remissis sibi peccatis, ergo eadem fide certus est, se peccatũ non habere: si peccatum non habet, ergo mundum, ac purum est cor ejus à peccato. Atqui hoc subruit Scripturam S. Nam in 1. Epist. Joannis c. 2. v. 4. legimus: *qui dicit se nosse eum* (scilicet Deum per fidem vivam) *& mandata ejus non custodit, mendax est, & veritas in eo non est.* Jam autem Lutheranismi dogma est: *Mandata Dei à nemine posse servari:* igitur transgressione illorum peccant ejus asseclæ: Ergo non sunt puri à peccato. Præterea Spiritus S. Proverb. 20. v. 9. quærit: *Quis potest dicere mundum est cor meum purus sum à peccato?* Et si quis dixerit, suum cor esse mundum, se purum à peccato, illi occurrit S. Joannes Apostolus, impudentis mendacij eum arguens Epist. 1. c. 1. v. 8. *Si dixerimus, quoniam peccatũ non habemus, ipsi non seducimus, & veritas non est in nobis.* Immò Regius vates acceptâ etiam peccatorum veniâ asserente Propheta, tantùm non præsumebat: sed humiliter Deo supplicabat: *Cor mundum crea in me Deus* Psalm. 50. & Psalm. 6. v. 7. *Lavabo per singulas noctes lectum meum, lacrymis meis stratum meum rigabo.* Monet præterea Divinus Spiritus: *De propitiato peccato noli esse sinè metu.* Eccl. 5. v. 5. Quæ omnia præsens dogma subruit.

Infertur 3tio. Ergo omnis justificatus certus est fide Divina se esse amicum Dei, ejusq; amore dignum. Si enim de remissis peccatis fide Divina certus est, eâdem certitudine potest esse de amicitia, & amore Dei, si quidem ille, cui remissa sunt

pec-

peccata, est amicus Dei, & ipsius amore dignus, utpotè in gratiam Dei restitutus, quæ est amicitia Dei: seu ùt vult Lutheranismus: Imputatio meritorum & Justitiæ Christi. At illatum S. Scripturam subruit, Eccl. c. 9. v. 1. *Sunt justi atq; sapientes, & opera eorum in manu Dei, & tamen nescit homo* (justus) *utrum odio, vel amore dignus sit, sed omnia in futurum reservantur incerta.* S. Apostolus Paulus, *nihil sibi conscius fuit*, in hoc tamem se justificatum affirmare non audebat, esto habuerit fidem justificantem. Adeoque Fide Divina non erat certus de remissis sibi peccatis, consequenter nec de amicitia, & amore Dei.

Infertur *4to.* Ergò præfatus Apostolus commisit peccatū æternæ damnationis pœnâ castigandum, quando de remissione peccatorum suorum, seu de justificatione sua, incertum se esse affirmabat, dum non elicuit actum Fidei Divinæ, quo sibi remissa esse peccata, seque justificatum crederet, sed dubius diceret: *Neq; me ipsum judico.* (id est: an mihi sint remissa peccata, & an sim justificatus, non determino) *Nihil enim mihi conscius sum, sed non in hoc justificatus sum, qui autem judicat me, Deus est.* 1. Corinth. 4. v. 4. Igitur malè ad sui imitationem invitat: *Imitatores mei estote.* Ibid. v. 16. & alibi. Non enim in hoc actu & incertitudine remissionis peccatorum est imitandus; quia est peccatum pœnâ æternæ damnationis dignum. Sed potiùs fide Divina credendum: Justificatus sum; quia certus sum fide Divina de remissis mihi peccatis; quæ certam fiduciam significat.

Infertur *5to.* Ergo quilibet justificatus, cui Minister annuntiavit remissa sibi esse peccata, certior est de remissione eorum, quàm S. Apostolus Paulus, adhuc vivus in tertium Cœlum raptus. Justificatus enim, de remissis sibi peccatis nec hæsitare audet, nisi æternæ damnationis pœnam incurrere velit, cùm sub interminatione pœnæ æternæ remissionem eorum sibi factam,

credere

credere debeat: cùm nec ipse Apostolus in hac causa auderet aliquid certi de se statuere.

Infertur 6to. Ergo idem Apostolus contra Fidem erravit, quando Philippenses, & in illis omnes fideles hortatus est, *ut cum metu, & tremore salutem operentur.* cap. 2. v. 12. Immò hortatus est illos ad id, ob quod pœnam æternæ damnationis incurrant. Si enim quilibet justificatus est certus fide Divina de remissis sibi peccatis, errat, dum fideles hortatur de salute metuere, & cum tremore eandem operari: siquidem ille, cui remissa sunt peccata, fide Divina de hac remissione certus est, & sub eadem certitudine salutem infallibiliter, quia infallibilitate Fidei Divinæ consequetur. Præterea: si sub pœna æternæ damnationis remissionem peccatorum suorum quilibet justificatus fide Divina tenetur credere, ergo hanc pœnam incurrit, qui salutem cum metu & tremore operatur. Hic enim non est certus fide Divina de remissis sibi peccatis, aliàs cum timore, & tremore non esset solicitus de salute. Quem metum, atque timorem quoniam S. Scriptura inculcat, & Lutheranismi dogma ab utroque absolvit, utique evidenter S. Scripturam devastat.

Infertur 7mo. Ergo nulli justificato satagendum, ut per bona opera certam faciat vocationem ad fidem Christianam & Electionem suam, scilicet ad salutem æternam. Si enim certus est fide Divina de remissione peccatorum, ad quid illa solicitudo certificandi electionem suam. Hæc enim ipsa justificatum reddit dubium, & planè incertum electionis suæ. At illatum rursus devastat S. Scripturam. Est enim contra clarum Apostoli effatū: 2. Petri 1. v. 10. *Quapropter fratres magis satagite, ut per bona opera certam vestram vocationem, & electionem faciatis.* Ergo præfixum Dogma ruat, ne oracula S. Scripturæ periclitentur.

DO-

DOGMA XV.

In Justificatione Peccatoris non verè tolluntur, sed solùm teguntur peccata imputatione Justitiæ Christi.

VT gratiam Justificantem peccatori in Justificatione à DEO infusam tanquam verum peccati habitualis sublativum, contra Ecclesiæ Catholicæ definitionem rejiciat Lutheranismus, docet ex proprio cerebro, in Justificatione non verè tolli, neque deleri peccata hominis, sed solummodo tegi justitiâ Christi, quam peccatori per fidem apprehensam Deus imputat. Hoc admisso

Infertur *imo.* Ergo in justificato manent verè peccata, utpotè solùm Justitiâ Christi contecta. Sicut in pariete maculis infecto, verè manent maculæ, esto aureis peristromatis obtegatur. Ergo Ministri suis pœnitentibus falsò ajunt: *Absolvo te à peccatis.* Vel. *Annuntio tibi remissa esse peccata tua.* A quo enim quispiam absolvitur, illud non manet in ipso moraliter, sed verè ex illo aufertur. Quod alicui verè remittitur, verè ab eo liber efficitur. Id autem juxta præsens dogma fieri nequit. Peccata enim non verè tolluntur, sed solùm teguntur. Ludunt itaque, & decipiunt Ministri populum, dum præfatis verbis utuntur. Veriùs dicerent & dogmati conformiùs: *Teguntur peccata tua Justitiâ Christi.* Vel saltem: *Jam tibi non imputantur, manent tamen in anima tua.*

Infertur *2do.* Ergo justificare, non idem significat, quod coram Judicio Reum aliquem justum dici, ùt vult D. Schelvigius de Justificat. cap. 19. Prob. Papat. Siquidem non verè tollitur, sed tantùm tegitur peccatum. Iudicialiter autem absolvi, est justum dici, est Reum verè à reatu, seu commisso peccato civiliter liberum facere, verè illud civiliter tollere, & delere, & nō

ſolummodo verborum pallio, aut imputatâ aliena juſtitiâ contegere: adeò ut poſt latam judicis abſolventis ſententiam, nemo illi audeat impunè crimen exprobrare, ex eo, quia jam non eſt. Utpotè per abſolutionem judicis deſtructum, & eliminatum.

Infertur 3*tio*. Ergo juſtificatus manet verè hoſtis, & inimicus Dei. Quia hoſtilitas, & inimicitia, quæ in morali permanentia peccati, & contracta macula conſiſtit, non verè tollitur, ſed ſolùm tegitur. Adeoque etiam ſub hoc tegumento juſtificatus, quò ad rem eſt verè inimicus Dei. Quamdiu enim manet forma in ſubjecto, tamdiu manet denominatio. Neq; non imputatio peccati denominationi obeſt: hæc enim non tollit eſſentiam peccati, adeoq; nec effectum illius formalem, qui eſt denominatio hoſtilitatis & inimicitiæ Dei. Conſequenter quò ad rem, juſtificatus adhuc erit verè hoſtis, & inimicus Dei.

Infertur 4*to*. Ergo Deus hominem juſtificatum odio habet. Quia in illo verè id manet, ratione cujus Deo odibilis eſt, ſcilicet peccatum, quod non tollitur verè, ſed tantum tegitur. Pallium autem juſtitiæ Chriſti non impedit oculos Dei, quominus peccatum ex ſe odio dignum videat, & illum odio proſequatur, in quo verè perſeverat. Sicut & peccata noſtra, quæ Chriſtus aſſumpſerat, ijſque ad extra ſolùm quaſi contectus erat, non impediebant Patris æterni oculos, quominus internam ejus juſtitiam videret, eumq; ob illam amore proſequeretur, dicens: *hic eſt Filius meus dilectus* Matth. 17. Nec Juſtitia Chriſti poteſt peccato auferre odibilitatem, itâ ut Deo ſit amabile: mutaret enim eſſentiam illius; & conſequenter peccatum non maneret: quia nihil manet ſublatâ ſuâ eſſentiâ. Ergo ſi in juſtificato verè peccatum manet, Deus illum verè odio habet. Quod contra omnem ſanam Theologiam, & rationem pugnat.

Infertur 5*to*. Ergo juſtificatus eſt filius Dei, & hæres Regni cœle-

cœlestis, quia remissa illi sunt peccata, seu tecta pallio Justitiæ Christi per fidem. Simul autē non est filius Dei, & hæres Regni cœlestis, quia in illo etiam verè est id, ob quod excluditur à filiatione Dei, & ab hæreditate Regni cœlestis, ipsum scilicet peccatum Originale, vel actuale v. g. adulterium, homicidium &c. quæ utique tollunt animæ filiationem Dei, & jus ad cœlestem hæreditatem, siquidem, *qui talia agunt, Regnum Dei non possidebunt*, Apostolo attestante. Neq; rursus dicas: Imputationem meritorum, seu justitiæ Christi tollere peccato exclusionem à Filiatione Dei, & ab hæreditate Regni cœlestis. Hæc enim est effectus formalis peccati, quo ablato ipsum etiam peccatum tolli necesse est; adeoq; dogma præsens te quoque instante cadit.

Infertur *6to*. Ergo justificatus non vivit verè vitâ spiritualì intrinsecâ, sed manet mortuus, ùt ante Justificationem erat. Quia non verè ex illo aufertur, quod ei mortem causat scilicet peccatum, sed solùm tegitur, & non imputatur. Cùm tamen peccatum ex natura sua spiritualiter mortificet, & occidat animam, ùt Apostolus ad Roman. c. 6. v. 23. docet: *Stipendia peccati Mors*. Nec juvat, quòd non imputetur. Non imputatio enim peccati malignitatem non aufert: quia hæc peccato est essentialis: aliàs ipsum peccatum auferretur illâ sublatâ, quod dogma non admittit.

Infertur *7mo*. Ergo in justificato peccatum non destruitur, quandoquidem solùm tegitur imputatione Justitiæ Christi. Atqui hoc evertit, & devastat S. Scripturam. Apostolus enim ad Roman. c. 6. v. 6. ait: *Vetus homo noster crucifixus est, ut destruatur corpus peccati.* Quæ sententia clarè falsa esset, si præfixum dogma subsisteret.

Infertur *8vo*. Ergo justificatus non liberatur à peccato, sed manet cum illo. Non enim per justificationem verè tollitur,

sed tantùm tegitur. Frustra igitur, immò & falsò Apostolus ad Romanos cap. 6. v. 22. solatur Christianos, asserens, *eos à peccato liberatos*. Siquidem etiam post Justificationem verè peccatum manet in illis, quidquid sit, quòd tegatur.

Infertur 9no. Ergo nos Sangvis Christi non emundat à peccatis. Si enim in Justificatione non verè tolluntur, sed solùm teguntur, certè nos sangvis Christi ab illis non emundat: manent enim maculæ peccatorum sub tegumento, non aliter, atque manent in sordido panno turpitudines sub aqua recondito. Atqui hoc devastat S. Scripturam. Asserit enim Apostolus Ioannes Epist. 1. c. 1. v. 7. *Sangvis JESU Christi emundat nos ab omni peccato*. Quod falsum esset, si dogma præsens verè subsisteret.

Infertur 10mo. Ergo nos Christus non lavit à peccatis nostris. Si enim peccata in Justificatione, seu lavatione spirituali supernaturali per merita Sangvinis Christi, non verè tolluntur, sed tantùm justitiâ illius teguntur, profectò ab illis non lavamur. Quomodo enim illud à maculis eluitur, in quo maculæ verè permanent. Atqui illatum S. Scripturam subruit Apoc. 1. v. 5. affirmantem: *Primogenitus mortuorum, & Princeps Regum terræ &c: lavit nos à peccatis nostris*: Neque existimes me physicam lavationem in Justificatione imaginari: sed sicut dum pannus physicis sordibus deturpatus, si verè lavetur, verè has sordes amittit: ità dum anima nostra moralibus maculis ex peccato contractis infecta, verè in justificatione sangvine Christi lavatur morales maculas verè deperdere debet: aliàs non lavaretur, sed tantùm tingeretur.

Infertur 11mo. Ergo Christus non tollit, seu non aufert peccata justorum. Quia illa solùm tegit justitiâ suâ. Atqui hoc dicere, est Præcursoris Christi S. Joannis Baptistæ effatum evertere, qui Christum indigitando dixit: *Ecce Agnus Dei, ecce qui tol-*

lit

lit peccata mundi. Joan. 1. Ubi ly *tollit*, idem est, quod aufert, ut ex alijs versionibus, & præsertim Germanica patet.

Infertur 12mo. Ergo falsò asserit S. Scriptura, quòd *nihil coinquinatum intrabit in cœlestem civitatem Jerusalem* Apocal. 21. v. 27. Omnis enim justificatus, qui in illam intrabit, erit coinquinatus maculis peccatorum, quæ solùm tegentur pallio justitiæ Christi.

Infertur 13mo. Ergo falsò ait Apostolus ad Ephes. c. 5. v. 25. de Ecclesia: Christus dilexit eam, & se ipsum tradidit pro ea, ut illam sanctificaret, *mundans lavacro aquæ* in verbo vitæ, ut exhibeat ipse sibi gloriosam *Ecclesiam non habentem maculam*, aut rugam, aut aliquid hujusmodi; sed ut sit sancta, *& immaculata*. Si enim in Justificatione, dum homines Ecclesiam constituentes, lavacro vitæ per Sacramentum Baptismi in verbo vitæ, & per Sacramentum pœnitentiæ mundantur, & sanctificantur, peccata illorum tantummodo teguntur, solùm non imputantur, tunc Ecclesia sic mundata plena est maculis, & sordibus peccatorum. Solumq; imputatione Justitiæ Christi, sibi omnino extrinseca, est adinstar Leprosi, pretioso pallio obvoluti: Vel adinstar sepulchri dealbati, quod afforis apparet speciosum, intus autem est plenum ossibus mortuorum Matth. 23.

Infertur 14mo. Ergo falsum est, quòd beati Incolæ cœlestis Jerusalem, *laverint stolas suas, & dealbaverint eas in sangvine Agni*, ùt S. Scriptura testatur Apocal. cap. 7. v. 14. Si enim peccata per justificationem non verè tolluntur, sed maculæ, atq; sordes omni nigredine turpiores manent, certè non subsistit, quòd stolas suas, id est se ipsos, seu conscientias suas dealbaverint in sangvine Agni. Nam sicut illa materialis stola non est lota, & dealbata, in qua turpissimæ nigredinis sordes, aliæq; maculæ conspiciuntur: ità etiam anima, & conscientia illius non est lo-

ta, & dealbata ſpiritualiter, in qua ſordes & maculæ ex peccato contractæ remanent.

Infertur 15*mo*. Ergo in homine juſtificato eſt aliquid damnationis. Eſt enim in illo peccatum per juſtificationem non ſublatum; quod utique eſt cauſa damnationis; quidquid ſit, quòd ſit tectum, ùt ex ſupra dictis patet. Hoc enim intrinſecam peccati malitiam non aufert, utpotè illi identificatam. Atqui illatum evertit Apoſtoli ſententiam, ad Roman. 8. v. 1. *Nihil ergo nunc damnationis eſt ijs, qui ſunt in Chriſto JESU:* Quales ſunt omnes juſtificati.

Infertur 16*mo*. Ergo falſum eſt dogma VI. aſſerens, nullum fidelem de ſua electione ad ſalutem dubitare poſſe, aut debere. Quamdiu enim in eo manet peccatum non verè ſublatum, quomodocunque tegatur, tamdiu in eo manet id, quod damnationem, & mortem æternam meretur: adeoque etiam poſt juſtificationem dubius, id eſt incertus, de ſua electione, atque ſalute eſſe poteſt, ac debet. Sicut ille, qui vulnus lethale in ſuo corpore habet, quamdiu non tollitur, quomodocunq; obtegatur, tamdiu de ſalute corporis dubius eſſe poteſt: ità etiam ille, in cujus anima peccatum lethale remanet. Neque non imputatio peccati metum aufert. Incertus enim eſt peccator, an ei non imputetur. Unde enim certitudinem de ſe in particulari habet? Non ex juſtificatione; quia de hac ipſa incertus eſt. Non ex revelatione publica: Quia hanc nuſquam de ſe in particulari factam legit. Non ex revelatione privata; quia hæc, eſto poſſit dari, ùt pluribus factam piè credimus, non tamen cuilibet defacto datur. Unde ergo?

Infertur 17*mo*. Ergo falſum eſt, quod aſſerit Propheta Iſaias de Chriſto: *Livore ejus ſanati ſumus* cap. 53. v. 5. Si enim etiam poſt juſtificationem peccata in nobis verè manent, quæ

ſunt

sunt morbi, & vulnera animarum nostrarum, quidquid sit quòd tegantur, & non imputentur, falsum est nos esse sanatos. Unde vel S. Scripturæ sententia stet vel Dogma ruat. Cui nihil fulcimenti affert Regius Vates dicens: *Beati quorum remissæ sunt iniquitates, & quorum tecta sunt peccata. Beatus vir cui non imputavit Dominus peccatum* Psalm. 31. v. 1. Quia aliis locis clarè asserit, destrui, elui, deleri, tolli peccatum, emundari, & sanari peccatorem in Justificatione. Unde illud tegumentum, & non imputatio peccati ità intelligenda sunt, ut per illa verè auferantur, deleantur, exstinguantur, & destruantur peccata: aliàs quomodocunque tecta, vel non imputata, verè in anima, & oculis Dei manerent, *quibus omnia nuda, & aperta sunt*, Apostolo teste ad Hebr. 4. v. 13. Hunc esse legitimum allatæ Vatis sententiæ sensum (seposita de voce lite) ex eo probatur: quia S. Scriptura communiter hæc duo conjungit: *Tegere peccata*, & eadem *remittere*, sive *delere*. Sic enim 2. Esdræ cap. 4. v. 5. *Non operias iniquitatem eorum, & peccatum eorum à facie tua non deleatur.* Psal. 84. *Remisisti iniquitatem plebis tuæ, operuisti omnia peccata eorum.* Psalm. 50. *Averte faciem tuam à peccatis meis, & omnes iniquitates meas dele.* Quo sensu etiam dictum est: *Beati quorum remissæ sunt iniquitates, & quorum tecta sunt peccata.* Cui in suppetias accedit ipsius Dei loquendi modus Isaiæ cap. 43. v. 25. *Ego sum, ego sum ipse, qui deleo iniquitates tuas propter me.* Quem modum loquendi imitatur S. Apostolus Petrus Actor. 3. v. 19. *Pœnitemini igitur, & convertimini, ut deleantur peccata vestra.*

Nec juvat Lutheranismum S. Augustinus Lib. de Nuptiis cap. 25. tradens (ùt refert Lutherus & Melanchton apud Witfelt in Theolog. Catech. Lib. 5. Disq. 2.) peccatum remitti in Baptismo, non ut non sit, sed ut non imputetur. Nam eo loco S. Doctor. non agit de peccato formali, & ùt est in se peccatum quem-

(quemadmodum hi falsò referunt, & supponunt) sed de concupiscentia carnis, quæ post Baptismum non imputatur ad reatum: atque adeò non est verè amplius peccatum, esto maneat. Sed solùm est fomes, seu causa radicalis & remota peccati formalis, ad quod nos incitat. Cui tamen juxta monitum Apostoli ad Roman. 6. v. 12. Non obediendum. Et hæc est genuina S. Apostoli Jacobi doctrina cap. 1. v. 14. *Unusquisq; tentatur à concupiscentia sua abstractus, & illectus. Deinde concupiscentia cum conceperit, parit peccatum.* En concupiscentiam Matrem, seu causam illectivam peccati, non verò ipsum peccatum formale, & in se. Clarè pro nobis stat idem S. Augustinus pluribus locis, hic brevitatis causâ omissis unicum adjicio. Enarratione 2. in Psal. 31. docens, ità DEum tegere peccata, ùt Medicus tegit emplastro vulnera: *Medicus inquit, tegit, ut curet, emplastro enim tegit: sub tegumine medici sanatur vulnus.* Et superiùs: *Cooperta sunt peccata, tecta sunt, abolita sunt.* Unde ulterius addit: Illa verba: *Beati quorum remissæ sunt iniquitates, & quorum tecta sunt peccata.* non intelligenda esse, quasi sub tegumento *illo sint & vivant.* Ex quibus facilè colligis, vanum esse tegumentum, & inanem non imputationem peccatorum Lutheranismi. Utrumque enim Scripturis allatis tam clarè dissipatur, ut nihil de eo remaneat, quo dogma ipsius resarciatur.

DOGMA XVI.

Necesse est Bona Opera facere.

NE Lutheri cultores tanti bonorum operum hostes videantur, quantus eorum Pater fuit, remittunt aliquid de hostilitate, & odio illius contra eadem, mitiusque jam profitentur: Necessarium esse, ut fideles bona opera faciant: quæ nimirum

sint

sint fructus Fidei, & obedientiæ Deo debitæ; non tamen quæ ad salutem consequendam prosint. Habetur Dogma in Probat: Papat. cit. cap. 21. Illo admisso

Infertur *1mo.* Ergo libertas Christiana non in sola Fide consistit, seu ut tantùm credamus in Christum, siquidem etiam necesse est bona opera facere. Ergo Lutheranismi Parens erravit, dum de libertate Christiana oppositum docuit, ùt passim in ejus scriptis legitur.

Infertur *2do.* Ergo DEus bona opera curat, cùm sit necesse eadem facere, quiscunque demum sit finis illorum. Ergo fallitur, & fallit Lutherus, dum lib. de Captivit. Babylonica cap. de Baptismo ait: *Opera DEus nihil curat.*

Infertur *3tio* Ergo est sapientia Christiana, scire Legem, & opera; quandoquidem necesse est bona opera facere, quorum præcipua sunt ex observantia legis, siquidem hæc est perfecta regula eorundem, ùt suprà asseruit Dogma VII. Ergo desipuit Lutheranismi author, dum in argumento Epistolæ ad Galatas editionis primæ scripsit: *Summa est ars, & sapientia Christiana nescire legem, ignorare opera.*

Infertur *4to.* Ergo ut justificati permaneant justi, non sufficit illis sola Fides, seu tantùm in Christum credere, ità ut reliqua omnia sint liberrima: sed sunt adhuc aliqua præcepta, quæ executioni mandanda; & aliqua prohibita, quæ sunt omittenda. Necesse est enim bona opera facere, quæ sinè dubio ex legis observatione fiunt. Unde enim necessitas bonorum operum, nisi ex Christiana lege, quæ est regula eorum, ùt voluit dogma VII. Ergo Lutherus iterum decipit suos asseclas, dum ad cap. 2. ad Galat. ait: *Sola fides Christi est necessaria ut justi simus* (id est, ut justi permaneamus; loquitur enim de permanentia justitiæ) *cætera omnia liberrima, neque præcepta amplius, neque prohibita.*

Infertur 5to. Ergo per obſervationem mandatorum Dei non negatur Chriſtus, neque Fides aboletur: ſiquidem fidelibus neceſſe eſt bona opera facere, quorum præcipua ſunt, quæ fiunt per obſervationem mandatorum Dei. Si verum eſt illatum, ergo rurſus falſum eſt, quod docuit Lutherus loco immediatè citato, dicens: *Quando ſic docetur, Fides juſtificat quidem, ſed ſimul oportet ſervare mandata Dei, quia ſcriptum eſt, ſi vis ad vitam ingredi ſerva mandata, ibi ſtatim Chriſtus negatus eſt, & fides abolita.*

Infertur 6to. Ergo Prædicantes Lutherani poſſunt adhortari ſuos auditores ad facienda bona opera, quin lædant fidem; nec ſibi Fides & opera adverſantur (ſaltem in ſecunda Juſtificatione de qua Apocal. c. 22. v. 11. *Qui juſtus eſt, juſtificetur adhuc*) Ergo iterum Lutherus turpiter erravit, dum libro de Votis Monaſticis evidenter oppoſitum docuit.

Infertur 7mo. Ergo Prædicantes Lutherani promovent doctrinam Dæmoniorum, quando ad facienda bona opera ſuos adhortantur, Nam ex oraculo Patris ſui lib. de votis Monaſtic. *Doctrina operum, eſt doctrina Dæmoniorum.*

Infertur 8vo. Ergo non nuda fide erga DEum, ſed etiam operibus indigemus cùm neceſſe ſit eadem facere, quocunque demum fine. Ergo rurſus Germaniæ Apoſtolus Serm. de piſcatura Petri falſò docet: *Erga Deum non operibus, ſed nuda fide indigemus.*

Infertur 9no. Ergo Chriſtianis non eſt cavendum à legibus, & bonis operibus. Quandoquidem bona opera, ſaltem ea, quæ ex obſervatione Legis Divinæ conſequuntur, oportet facere. Reſorbeat igitur Pſeudo Evangeliſta Lutherus adhortationem ſuam, ſermone de novo teſtamento, ſive de Miſſa: *Caveamus à peccatis, ſed maximè à bonis operibus, & legibus.* Et quod ulteriùs dicit:

dicit: *Nec aliqua lex requiritur nec opus: immò Fides & legem præscindit, & opus.*

Infertur *10mo* Ergo necesse est peccare, dum necesse est bona opera facere. Nam ùt idem Pseudo-propheta in Assert. Art. 31. à bonis operibus absterrens, vociferatur: *Justus in omni bono opere peccat.* Suffragatur tanto Magistro egregius Discipulus Philippus Melanchton in locis Communibus primæ editionis: *Omnia hominum, quantumvis laudabilia opera, planè vitia sunt, & morte digna.*

Infertur *11mo.* Ergo possibile, atque necesse est servare mandata Dei: siquidem necesse est bona opera facere, quæ præcipuè exercentur in observatione mandatorum Dei. Ergo ruit Dogma VIII.

Infertur *12mo.* Ergo omnes Lutheranorum Prædicantium Exedræ, ex quibus ad bona opera facienda adhortantur auditores igni mandandæ, & in cinires redigendæ. Quia hoc votum est Patris eorum in Postilla Domin. 1. Adventûs, impressa Vitenbergæ A. 1525. *Utinam in universo mundo omnes Ecclesiasticæ Exedræ* (in quibus scilicet Prædicatores ad bona opera exhortantur) *in igne arderent, & in cineres redigerentur. O quàm seducitur populus bonis operibus.* Itáne est? Et quomodo subsistet dogma?

Infertur *13mo.* Ergo Fides cum bonis operibus non pugnat, neque illam bona opera destruunt; siquidem necesse est, ut ea fideles faciant. Falsò igitur Tom. 1. Vitenbergæ A. 1519. fol. 371. ait: *Fides nisi sit sinè ullis, etiam minimis operibus, non justificat, immò non est fides.*

Infertur *14mo.* Ergo Evangelium sustinet prædicationem de bonis operibus. Quia necesse est ut illa faciant fideles. Ergo fallit Lutherus dum in Postilla Ecclesiastica Strasburgi impres-

ſa A. 1525 in Concione pro die Aſcens. Domini fol. 135. docet: *Evangelium non poteſt ſuſtinere, ut de bonis operibus prædicetur, quantumcunq; bona aut magna ſint.*

Infertur 15mo. Ergo neceſſe eſt, ut Lutheraniſmi Clientes (ſit verbo venia) pediculis ſe inficiant, dum neceſſe eſt bona opera facere. Hæc enim Pater ipſorum Tom. 4. Anno 1551. impreſ. fol. 321. pediculos eſſe cenſent dicens: *Omnia noſtra opera non ſunt aliud, quàm meri pediculi in antiquo pelliceo.*

Infertur 16mo. Ergo Evangelium exigit, & non condemnat bona opera. Rurſus ergo Lutheraniſmi Parens in Præfat. novi Teſtamenti Francofurti Anno 1570. fol. 238. errat, dum ait; *Evangelium non exigit propriè noſtra opera, ut per illa boni ſimus, & ſalvemur, immò condemnat illa.*

Infertur 17timo. Ergo Lutheraniſmus in principali articulo Fidei ſe ipſum ſubruit, quando tam clarè à ſuo Patre recedit, quem aliàs Spiritu S. plenum totis buccis crepat. Ille enim, ùt ex allatis, & pluribus afferendis locis, patet, à bonis operibus ſuos aſſeclas liberaliter abſolvit: Lutheraniſmus autem in contra clamat: *Neceſſe eſt bona opera facere.*

Infertur 18mo. Ergo non eſt neceſſe, ut Lutherani bona opera faciant. Si enim neceſſe eſſet, ut aliqua faciant, maximè eſſent illa, quæ ſunt ex obſervatione Præceptorum Dei. Atqui hæc non eſt neceſſe facere: quia ad impoſſibilia nemo neceſſitari poteſt. Jam verò Præcepta Dei nullus poteſt exequi, ùt aſſeruit Dogma VIII. Ergo etiam nullus poteſt bona opera facere, quæ ex eorum obſervatione conſequuntur, adeoq; dogma ſubſiſtere non poteſt.

DOGMA XVII.

Bona Opera non sunt necessaria ad salutem.

CUM clarissimis Scripturis S. non possit satis resistere Lutheranismus, quæ bona opera non solùm commendant, sed etiam exigunt, eadem, ut visum, admittit. Tamen ne illis aliquã vim meritoriam salutis æternæ concedat, præsente dogmate eandem conatur eludere, dum necessitatem eorum ad solos Fidei fructus, & obedientiam Deo debitam adstringit. Habetur dogma in alijs authoribus ijsdem terminis, in Probat: Papatûs D. Schelvigij æquipollentibus verbis, cap. 21. Eo concesso

Infertur *1mo.* Ergo non habere Deos alienos, non pejerare, non blasphemare, diem Sabbati non profanare, non occidere, non furari, non mœchari, falsum testimonium non dicere, non est necessarium ad salutem. Hæc enim sunt bona opera. Ergo qui contrarium faciunt Regnum cœleste possidebunt, esto non pœniteant.

Infertur *2do.* Ergo voluntatem Dei exequi, eidemque obedire non est necessarium ad salutem. Nam voluntatem Dei facere, eidemque obedientiam præstare, est bonum opus. Fallit igitur veritas æterna, quando dicit: *Non omnis, qui dicit mihi Domine Domine, intrabit in Regnum Cælorum, sed qui facit voluntatem Patris mei qui in cælis est, ipse intrabit in Regnum Cælorum.* Matth. 7. v. 21. Id est, qui mandatis ipsius obedit. Hæc enim sunt voluntas ejus nobis manifestata.

Infertur *3tio* Ergo ob neglectum bonorum operum, quæ quispiam potuit & ex charitate erga DEum & proximum tenebatur facere, non condemnabitur, sed salvabitur. Quia hic neglectus non obstat saluti; cùm ipsa bona opera nihil conferant ad eandem, (intellige semper adultis) Et tamen decretum Judi-

cis contra condemnatos ferendum aliud sonat: *Discedite à me maledicti in ignem æternum.* Quare? *Quia non dedistis mihi manducare, bibere. Non me cooperuistis, non visitastis &c* Igitur aut Christus, qui ob neglectum bonorum operum enumeratorum dicit condemnandos, fallit, aut dogma ruit & ejus author Lutherus lib. de Captiv. Babylon. cap. de Baptismo contrarium asserens, decipit: *Vides* quàm sit dives Christianus, sive baptisatus: qui etiam volens non potest perdere salutem quantiscunque peccatis, nisi nolit credere: nulla eum peccata damnare possunt, nisi sola incredulitas.

Infertur *4to.* Ergo non est necesse bona opera facere, ùt voluit præcedens dogma. Quia non sunt necessaria ad consequendam salutem. Rides illatum, cum data ratione, dicisque alias esse necessitates bonorum operum, esto non ad salutem. Nimirum necessitatem mandati cultûs Deo debiti: officij proximo præstandi, atque præsentiæ eorum, ut adsint. Præclarè. Accipio has, non ex Scripturis S. sed ex cerebro Lutheranismi natas necessitates. Atqui mandata Dei non possunt servari, ùt asseruit Dogma VIII. Ergo bona opera non possunt esse necessaria necessitate mandati ad debitum Deo cultum per ea exhibendum. Quæ enim à nobis præstari non possunt, non potest nobis Deus ùt necessaria præcipere ad reddendum sibi debitum cultum. Deinde hoc ipsum mandatum cultûs Deo debiti, necessitans ad bona opera, ut per illa cultum Deo exhibeamus, est mandatum ùt dicis: Ergo hoc ipsum non potest impleri juxta dogma tuum. Præterea, ipsa executio hujus mandati de faciendis bonis operibus ad exhibendum debitum Deo cultum, est bonum opus, est enim obedientia Deo exhibita, quæ ipsi magis placet quàm victimæ, 1. Reg. c. 15. v. 22. Propheta attestante. Ergo eo ipso non est necessaria ad salutem. Siquidem universa-

versaliter bona opera non sunt necessaria ad salutem. Et hoc modo poterit salutem consequi, qui in exercendis bonis operibus Deo non obtemperat. Præterea: Omnia opera nostra, ùt Lutheranismus ex Scripturis conatur ostendere, sunt meræ sordes & maculæ instar panni menstruatæ: optima quoque sunt venialia saltem peccata, ut suprà retuli; Ergo non possunt esse necessaria necessitate mandati, & ad exhibendam Deo obedientiam. Nam ùt talia, Deus imperare non potest, utpote purissimus, & sanctissimus, & nolens iniquitatē. Igitur neque necessaria erunt necessitate officij proximo præstandi, neque ùt fructus bonarum arborum. Deinde, hæc ipsa exhibitio officii proximo est bonum opus. Ergo non est necessaria ad salutem. Ad quid ergo? Tandem si bona opera sunt necessaria ad salutem *necessitate præsentiæ*, ergo sunt necessaria saltem hoc modo ad salutem: ipsaq; eorum præsentia causat moraliter salutem, seu determinat Deum ad dandam homini salutem. Quæro enim: si homo adultus non habet bona opera, quæ ex obedientia Deo debita, & ad exhibendum officium proximo tenetur præstare, consequetúrne salutem, an non? Si consequetur: ergo bona opera illi non sunt necessaria necessitate præsentiæ, obedientiæ, Deo exhibendæ, & præstandi officii proximo; quandoquidem sinè illis salutem consequetur. Si autem non consequetur: ergo sunt necessaria omnino ad salutem, saltem tanquam conditio sinè qua non, cùm illa nolis esse causam moralem, aut determinativum partiale Dei ad dandam homini salutem, ut patet ex ijs, de quibus est decretum Judicis: *Venite benedicti Patris mei, possidete regnum &c.* Quare? *Esurivi enim, & dedistis mihi manducare: sitivi, & dedistis mihi bibere.* &c. Denique illa necessitas præsentiæ bonorum operum in quo Scripturæ S. loco exigitur à Deo? ità ut clarè à quolibet intelligi possit: *Bona opera, quæ necesse est*

face-

facere, non causare moraliter partialiter salutem, sed solùm præsentiam otiosam eorum requiri: nec esse conditionem saltem, sine qua non. Cùm enim hoc dogma sit de Fide, Scriptura autem quò ad articulos fidei clara est, & perspicua, ità ut à quolibet facilè possit intelligi, ùt asseruit Dogma I. hanc ipsam operum præsentiam ùt talem, clarâ quapiam sententiâ determinare debet, quam hactenus neque in suis Biblijs reperit Lutheranismus. Explicationes, & illationes ipsius, utcunque appareant claræ, non sunt effata Verbi Divini, qualia in hoc negotio requirimus; & Catholici pro suo dogmate satis clara afferunt, ut patebit ex impugnatione præsentis, atque sequentis Dogmatis.

Infertur *5to.* Ergo sola fides salvat, & sola necessaria est homini ad salutem: cùm bona opera ad illam non sint necessaria. Atqui illatum Scripturam devastat, & Apostolum Jacobum falsitatis arguit, qui cap. 2. v. 14. ait: *Quid proderit fratres mei, si quis fidem habere se dicat, opera autem non habeat, nunquid fides eum salvare poterit?* Quid sibi vult hæc interrogatio, quàm negationem salutis sinè operibus? Econtra, si fides sinè operibus non salvat, ergo salvat cum operibus, ità ut non solùm ipsa, sed etiam opera salvent, seu ad salutem dandam Deum determinent.

Infertur *6to.* Ergo dilectio proximi non est necessaria ad salutem. Est enim bonum opus. Consequenter ille vivit coram Deo, qui proximum non diligit. Atqui etiam hoc S. Scripturã evertit. Docet enim Apostolus Joannes Epist. 1. c. 3. v. 15. *Qui non diligit, manet in morte.* Igitur dilectionis causalitatem respectu vitæ spiritualis, & consequenter respectu salutis requirit Apostolus, & non solùm ejus præsentiam. Sicut cadaveri non sufficit ad vitam, quod illi anima tantùm præsens sit, nisi illud etiam informet, motumq; membrorum ab intrinseco causet: ità non

non sufficit ad vitam animæ, quòd ipsi dilectio sit præsens, nisi etiam ipsa ad illos effectus moveat animam, quos S. Paulus 1. ad Corinth. c. 13. enumerat; & consequenter etiam Deum ad salutem impertiendam determinet.

Infertur *7timo.* Ergo ad mercedem à Deo recipiendã (quæ est vita æterna, & salus animæ, ùt mox patebit) non sunt necessaria merita, quæ sunt bona opera. Atqui hoc dicere, est S. Scripturam devastare. Deus enim sub parabola Patris-familias conductis ad labores in vinea, hoc est in Ecclesia Operariis, jubet *dare mercedem*, Matth. c. 20. quæ utiq; merita propriè respicit. Aliàs non *merces*, sed gratuitum donum denarius ille diurnus esset appellandus. Confirmatur idem ex Apocal. cap. 22. v. 12. *Ecce venio citò, & merces mea mecum est, reddere unicuiq; secundùm opera sua.* Nimirum, secundùm mala, damnationem: hæc enim est illorum merces. Secundùm bona verò, vitam, & salutem æternam, quæ merces est justorum. Si igitur vita æterna, & salus animæ est merces, ùt clarè legis, ergo intuitu bonorum operum, tanquam meritorum, redditur fidelibus. Atq; hoc modo non solùm præsentia, sed etiam vis meritoria eorundem requiritur ad salutem consequendam.

Infertur *8tavo.* Ergo errat S. Paulus Apostolus, jubens, ut cum metu, & tremore salutem nostram operemur, ad Philip. cap. 2. v. 12. Per quid enim salutem operabimur, si non per bona opera? Si autem hæc non sunt necessaria tanquam concausæ morales, vel tanquam conditio sinè qua non, sed utduntaxat otiosè sint præsentia, certè hoc modo per illa non operamur salutem. Sola enim præsentia rei non operatur, sed ipsa res.

Infertur *9no.* Ergo non est necesse ad salutem, ut Christiani carni suæ, malis appetitibus, & inclinationibus vim aliquã inferant, séq; partim jejuniis, partim vigiliis, partim aliis mo-

dis mortificent, ut carnem Spiritui ſubjiciant, quæ ſemper adverſus eundem concupiſcit: quia: etiam hæc ſunt bona opera. Quam igitur vim inferunt Cælorum Regno Chriſtiani? vel ſaltem quomodo poſſunt ſpiritualiter nunc, & poſtea beatè vivere cum Deo, dum S. Apoſtolus Paulus ad Rom. c. 8. v. 13. intonat: *Si ſecundùm carnem vixeritis, moriemini: ſi autem Spiritu facta carnis mortificaveritis, vivetis.* Clarè profectò carnis mortificatio tanquā conditio ad vitam ſpiritualem, & conſequēter ad ſalutem requiritur, quam non niſi viventes Deo conſequuntur.

Infertur 10*mo*. Ergo eſto aliquis non permaneat in dilectione, ſanctificatione, ſobrietate &c. Salutem conſequetur. Siquidem bona opera, qualia etiam ſunt enumerata, non ſunt neceſſaria ad ſalutem. Sed illatum evertit Apoſtoli ſententiam 1. ad Timoth. c. 2. v. 14. *Mulier ſeducta in prævaricatione fuit: Salvabitur autem per filiorum generationem, ſi manſerit in fide, & dilectione, & ſanctificatione cum ſobrietate.* Ergo ſaltem mulieres ſinè his virtutibus, ſeu bonis operibus ſalvabuntur; ſiquidem non ſunt neceſſaria ad ſalutem. Aut ſi ſunt neceſſaria neceſſitate præſentiæ ſaltem, tunc nulla ſalvabitur, niſi quæ generat filios. Igitur ſteriles, & Virgines non ſalvabuntur. Quia hæ filiorum generationem non præſentabunt, per quam, ut loquitur Apoſtolus ſalvantur, ſi manſerint in fide &c.

Infertur 11*mo*. Ergo non eſt orandum, ut ſalutem conſequamur. Oratio enim eſt bonum opus, quo fruſtra fatigamur clamando: *adveniat Regnum tuum*, cùm non determinet Divinam bonitatem ad illud nobis impertiendum: ſiquidem univerſaliter bona opera non ſunt neceſſaria ad ſalutem. Fruſtra igitur Chriſtus nos orare docuit: *adveniat Regnum tuum.* Fruſtra Apoſtolus adhortatur: *Orate pro invicem, ut ſalutem conſequamini* Jacobi, c. 5. v. 16. Sufficit ad orationis præſentiam exhibendam librum

brum precatorium cum scriptis orationibus Deo offerre; siquidem ipsa oratio, quam fundimus nihil ad impetrandam salutem concurrit.

Infertur *12mo.* Ergo pietas non est ad omnia utilis: quia non est utilis ad impetrandam salutem: & sinè illa, utpote bono opere ad salutem non necessario, salus æterna acquiri potest. Ergo nos decepit S. Apost. Paulus 1. ad Timoth. c. 4. v. 8. scribens: Pietas ad omnia utilis est, promissionem habens vitæ, quæ nunc est, & futuræ.

Infertur *13tio.* Ergo observare præcepta Dei non est necessarium ad salutem. Quia observatio eorum causat bona opera, quæ non sunt necessaria ad salutem etiam ùt conditio sinè qua non. Ergo fallit Christus Juvenem illum, cui, & nobis in illo dicit: *Si vis ad vitam ingredi serva mandata.*

Infertur *14to.* Ergo quod vovisti Deo, non est necesse ut impleas ad salutem consequendam: nec damnationem incurrit, qui secus facit. Adimpletio enim voti est bonum opus. Bona autem opera non sunt necessaria ad salutem. Igitur errat Paulus viduis adolescentioribus damnationem interminans, quæ, postquam Deo promiserant reliquum vitæ suæ sinè nuptiis peragere, promissioni suæ contravenerunt. In quas 1. ad Timoth. c. 5. v. 11. fulmen illud torquet, quod & Lutheranismi Patrem ac Matrem horrendum in modum terrebat, ut ipse Lutherus in quadam Epistola ad eandem Monialem suam fatetur, cùm ipsam in hoc casu, conscientiæ fluctibus agitatam, solaretur. Verba sunt Apostoli: *Adolescentiores autem viduas devita: cùm enim luxuriatæ fuerint in Christo, nubere volunt, habentes damnationem, quia primam fidem irritam fecerunt.* Et ibidem v. 15. clarè indicat, quonam tales perfidæ, & perjuræ vadant, quando primã fidem Christo datam, seu vota violant: *Jam quædam conversæ sunt*

retrò Satanam. Unde patet, quò etiam illæ, & illi vadunt, qui, & quæ, eas imitantur, & vota sua non implent. Ex allata verò Apostoli sententia ulterius inferimus: si irritatio fidei, seu voti, (quod hoc loco Apostolus per fidem intelligit) damnationẽ causat: ergo etiam adimpletio illius causat salutem: habet enim in se vim meritoriam ejusdem ratione gratiæ supernaturalis, datæ homini à Deo ex vi meritorum Christi, cum qua adimpletionem operatur, quæ etiam Deum determinat ad salvandum vota implentem.

Infertur *15to.* Ergo illi, qui exequuntur, quæ Christus præcipit, per hanc executionem non fient beati. Hæc enim est bonum opus, quod non est necessarium ad salutem. Atqui hoc S. Scripturã evertit. Christi enim promissum atq; effatum est: *Si hæc* (scilicet præcepta) *scitis, beati eritis, si feceritis ea.* Joan. cap. 13. v. 17.

Infertur *16mo.* Ergo Patientia in persecutionibus non est necessaria ad salutem, nec determinat Deum ad reddendam cælestem mercedem patienti. Atqui hoc S. Scripturam evertit. Asserit enim Apostolus ad Hebr. c. 10. v. 36. *Patientia vobis necessaria est, ut voluntatem Dei facientes* (scilicet patiendo persecutiones) *reportetis repromissiones.* Et Christus ipse Matth. 5. v. 11. *Beati estis cùm maledixerint vobis, & persecuti vos fuerint &c. gaudete & exultate, quoniam merces vestra copiosa est in cælis.* Quæ repromissiones, quæ merces, nisi salus æterna? Si merces, ergo pro laboribus, & intuitu meritorum determinantium Christum ad eam reddendam.

DOGMA

DOGMA XVIII.

Bona Opera Justorum non sunt meritoria vitæ æternæ.

NE bonis operibus, quorum necessitatem asseruit Lutheranismus dogmate XVI. aliquam causalitatem salutis æternæ concedat, absolutè illis omnem vim meritoriam ejusdem denegat, solùmq; temporale quodpiam præmium, aut accidentale in cælo concedit. Opinatur enim si secus fieret, Christi merita, & gratiam evacuari. Neq; hactenus vult percipere, bona justorũ opera non ex se, quatenus videlicet humana sunt, sed ex gratia & meritis Christi pretium, atq; vim meritoriam salutis habere: esto id semper eidem inculcemus. Sic novissimè D. Schelvigius in Probat: Papat. cap. 21. Illo posito.

Infertur *1mo.* Totum ferè, quidquid ex immediatè præcedenti dogmate in devastationem S. Scripturæ illatum est. Insuper autem.

Infertur *2do.* Ergo ille, qui propter Christum reliquit domum, vel Patrem, aut Matrem, vel fratres aut sorores, vel agros &c. non meretur vitam æternam ratione adimpleti contractûs onerosi conditionati ab ipso Christo constituti: cum opera Justorum non sint meritoria vitæ æternæ. Fallet igitur veritas æterna suos Matth. 19. v. 29. hunc contractum adimplentibus præter centuplum (sive in hac sive in altera vita respiciendũ) etiam vitam æternam promittens Eam aliàs haud dubiè non adepturis, nisi impleta conditione, si necessitas ingrueret.

Infertur *3tio.* Ergo frustra oramus pro invicem, ut salvemur: nec potest homo justus per merita Christi alicui peccatori gratiam conversionis ad Deum, & consequenter salutem impetrare: siquidem bona opera justorum, qualis etiam est: ora-

tio, non sunt meritoria vitæ æternæ. Ut quid ergo S. Apost. Jacobus Christianos adhortatur? *Orate pro invicem, ut salvemini.* c. 5. v. 16. Ut quid alter Apost. Joan. orationi vim tribuit quodcũq; impetrãdi? 1. Joan. c. 5. v. 14. *Hæc est fiducia, quam habemus ad Deũ, ut quodcunq; petierimus secundùm voluntatem ejus, audit nos.* Voluntas autẽ illius etiã est, orare pro invicem, ut salvemur: seu ut opere Orationis impetremus, & mereamur alteri salutem vi gratiæ & meritorum Christi, à quibus oratio nostra efficaciã suã sortitur; quandoquidem Deus omnes vult salvos fieri, quantũ est ex ipso. Frustra & Christus promittit: *Amen Amen dico vobis, si quid petieritis Patrem in nomine meo dabit vobis.* Joan 16. v. 23. cùm petẽdo & orando vitã æternã nõ mereamur. Certè has S. Scripturæ sentẽtias impiè devastat præsens dogma, si subsistere conatur.

Infertur *4to.* Ergo illi operarij non meruerunt denarium, diurnum, de quo convenerant cum Patrefamilias vineæ, qui vitam æternam significat, esto ipse Dominus vineæ, *mercedem* illum appellet: *Redde illis mercedem.* Matth. 20. v. 8. Nec peracto labore jus in denarium, tanquam suum habuerunt: cum labor, seu bona opera non sint meritoria vitæ æternæ, quam denarius significat. Atqui hoc Scripturam S. devastat. Clarè enim Paterfamilias ait: *Tolle quod tuum est.* Scilicet denarium, quem à Procuratore acceperat. Non erat autem alio titulo *suum*, quàm justitiali ratione contractûs facti, & labore, ac operibus adimpleti. Ideo enim illi datus est.

Infertur *5to.* Ergo merces, non est merces, quam Christus se promittit daturum Apocal. c. 22. v. 12. *Ecce ego venio citò, & merces mea mecum est, reddere unicuiq; secundùm opera sua.* Merces enim non est, nisi quæ intuitu operis meritorij datur, ut per se patet. Ergo si bona opera, secundùm quæ Christus redditurus est unicuiq;, non sunt meritoria mercedis, quæ cum illo est, nempe

nempe falutis, merces non eft merces.

Infertur *6to.* Ergo Corona Juftitiæ, quam reddet juftus Judex non folùm Paulo, fed & omnibus diligentibus adventum ejus 2. ad Timoth. 4. v. 8. Non eft Juftitiæ, fed purè gratuita. Si enim bona opera, qualia etiam faciebat S. Apoft. Paulus, & alij faciunt, qui diligunt adventum Chrifti, non funt meritoria vitæ æternæ, quam Apoftolus nomine Coronæ Juftitiæ compellat, falfo illam hac compellatione infignit. Juftitiæ enim eft, merita refpicere, & fecundùm illa reddere, ut præmium, Corona Juftitiæ poffit appellari.

Infertur *7mo.* Ergo vita æterna non eft retributio Juftitialis pro tribulationibus in vita mortali perpeffis. Siquidem etiam eorum perpeffio ob amorem Dei eft bonum opus, quòd juxta propofitum dogma non meretur vitam æternam. Sed illatum evertit Apoftoli fententiam 2. ad Theffal. 1. v. 6. *Juftum eft apud Deum retribuere tribulationem ijs, qui vos tribulant, & vobis qui tribulamini Requiem nobifcum.* Quæ eft requies illa, nifi vita æterna, ùt colligitur ex his, quæ addit: *In revelatione Domini Jefu de Cælo, cum Angelis virtutis ejus,* fcilicet venturi. Tunc enim Requiem iftam, nimirum vitam æternam publicè coram toto orbe omnibus hominibus fecundùm corpus & animam dabit, qui illâ digni in extremo ipfius judicio fuerint inventi. *Ibunt enim jufti in vitam* æternam Matth. 25. v. 46. Quanquam & alibi fæpius eam hoc nomine compellat: *Ingrediemur in requiem qui credimus: quemadmodùm dixit: ficut juravi in ira mea, fi introibunt in requiem meam.* Hebr. 4. v. 3.

Infertur *8vo.* Ergo illi, qui pro Chrifto, ejufq; Regno patiuntur, non funt digni Deo, & regno illius etiam intuitu paffionum fuarum. Nam dignitas præmij confequitur ad meritũ, quale meritum non eft paffio pro Chrifto, quia eft bonũ opus:

bonum verò opus non est meritorium vitæ æternæ, quæ utiq; in possessione Dei per visionem beatificam, & regni illius consistit. Atqui illatum S. Scripturam devastat, quæ Sapient. 3. v. 8. asserit: *Deus tentavit illos, & invenit illos dignos se.* Et 2. ad Thessal. 1. v. 5. *Nos ipsi in vobis gloriamur in Ecclesia Dei, ut, pro patientia vestra, & fide, & in omnibus persecutionibus vestris, & tribulationibus, quas sustinetis in exemplum justi judicij DEI, ut digni habeamini in regno Dei, pro quo & patimini.* Si pro regno Dei patiuntur, ut digni in illo habeantur in justo Dei judicio, quomodo illud non merentur?

Infertur 9no. Ergo Gratia Christi non efficit salutem nostram, si bona opera Justorum non sunt meritoria vitæ æternæ. Nam per bona opera Justorum non alia hic intelligimus, quàm quæ sunt ex gratia Christi, vi meritorum ejusdem: quorum intuitu nobis datur gratia actualis prima, tum justificans, & sanctificans, quâ elevati, filij, atq; amici Dei effecti, ipso Deo adjuvante, & gratia illius concurrente, bonum operamur. Immò ipse in nobis liberè consentientibus operatur, ità, ut quodlibet bonum opus supernaturale primariò, ac principaliter sit Dei. Ergo si opera bona, per gratiam Dei ex vi meritorum Christi facta, non sunt meritoria vitæ æternæ, gratia Christi non efficit salutem nostram, de qua Apostolus: *cum metu, & tremore vestram salutem operamini.* Ad Philippenses cap. 2. v. 12.

Infertur 10mo. Ergo paupertas Spiritûs, mansvetudo, sitis, & fames justitiæ, cordis mundities &c. quæ Christus enumerat apud Matth. c. 5. non merentur vitam æternam, quam Christus fidelibus, iisdem præditis, sub variis denominationib⁹ attribuit in præmium, atq; mercedem. Fallit igitur veritatis Magister, dicens: *Beati pauperes Spiritu, quoniam ipsorum est Regnum Cælorum &c.* Si ipsorum est, quæro, quo titulo? Non solius gratiæ; quia

quia hoc titulo est omnium fidelium: non omnes autem sunt pauperes Spiritu. Ergo est illorũ speciali titulo paupertatis. *Beati, qui persecutionẽ patiuntur propter justitiam, quoniam ipsorum est regnum cælorum.* Ibidem. Rursum quæro: quo titulo ipsorum est regnum cælorum? certè non solius gratiæ. Quia hoc titulo ùt dixi, est omnium fidelium saltem remotè. Non omes autem fideles persecutionem patiuntur propter justitiam, sive hæc justitia significet religionem Christianam, sive legem divinam. Ergo est illorum speciali titulo passionis persecutionum, qua merentur, ut sit ipsorum.

Infertur *unò.* Ergo & illi duo servi, quorum uterq; acceptis à Domino talentis, totidem iisdem lucratus fuerat, merè gratuitò admissi sunt in gaudium Domini sui, quod est vita æterna, & non intuitu laboris impensi tanquam meriti respectu illius præmij. Labor enim, seu bona opera justorum non sunt meritoria vitæ æternæ. Si ità est, ùt ex dogmate concluditur, cur ergo tertius servus, qui nullum lucrum talentô suô fecerat (quia illud non impendit) non pariter atq; duo priores in gaudium Domini sui intromittitur? sed tanquam *piger, malus, & inutilis in tenebras exteriores ejicitur, ubi erit fletus, & stridor dentium.* Sanè ratio alia non potest afferri vera literalis, præterquam, quòd priores exhibuerint laboris sui lucrum, quod Dominum determinavit ad eos præmiandos. Quo, quia tertius caruit, simili præmio non tantùm est privatus, sed insuper ad pœnam æternam condemnatus. Applicet hic D. Schelvigius suum axioma, quod superius de non-necessitate Baptismi ad salutem, attulit: *Non privatio damnat, sed contemptus.* Iste enim non ob contemptum lucri, vel bonorum operum condemnatus est, ùt ex ipsius prætensa excusatione clarum cap. 25. Matth. v. 24. Sed ob privationem eorundem. Unde illum Dominus v. 30. *Servum inutilem*

 appellat,

appellat, quia cum accepto talento, id eſt, gratia Dei, bona opera non fecit, quæ in reditu Domini exhibere potuiſſet: quorum deniq; privatio æternam illi damnationem cauſavit.

DOGMA XIX.

Nullum votum DEO placet, niſi de illa re fiat, quam ipſe præcepit.

HOC dogmate ſolvit Lutheraniſmus omnia vota facta DEo in rebus ab ipſo non præceptis. Eodem monaſteria utriuſq; ſexûs evacuavit, & vincula illa, quibus ſe Religioſi, & Moniales Deo adſtrinxerant, diſrupit. Eo deniq; vult cohoneſtare ſacrilegas nuptias Patris & Matris ſuæ, aliorumq; transfugarum utriuſq; ſexûs. Habetur in Probat. Papat. D. Schelvigij cap. 27. de votis. Illo admiſſo

Infertur 1mo. Ergo vota facta de rebus non præceptis à Deo, non ſunt implenda: ſiquidem Deo non placent. Atqui hoc S. Scripturam devaſtat. Nam Numer. c. 30. v. 3. ſcriptum eſt: *Si quis virorum Domino voverit, aut ſe conſtrinxerit juramento, non faciet irritum verbum ſuum, ſed omne quod promiſit implebit.* Et Deuter. cap. 23. v. 21. *Cum votum voveris Domino Deo tuo, non tardabis reddere. Quia requiret illud Dominus Deus tuus; & ſi moratus fueris, reputabitur tibi in peccatum. Si nolueris polliceri, abſq; peccato eris; quod autem ſemel egreſſum eſt de labiis tuis, obſervabis, & facies ſicut promiſiſti Domino Deo tuo, & propria voluntate, & ore tuo locutus es.* Ubi *NB.* Non de ijs Scripturam loqui, quæ præcepta ſunt; ſed ut vides quæ *propria voluntate* quis vovit.

Infertur 2do. Ergo non habent damnationem illi, & illæ, qui & quæ voto caſtitatis, & non nubendi, emiſſo, poſtea ad nuptias convolant. Cùm enim hoc votum non ſit de re pæcepta, Deo

non

non placet. Unde illi etiam non displicebit si non servetur. Atqui illatum S. Scripturam devastat. Claré enim Apost. adolescentioribus viduis, quæ se tali voto obstrinxerant, denuntiat: *Cum luxuriatæ fuerint in Christo, nubere volunt, habentes damnationem, quòd primam fidem irritam fecerunt. ... Jam enim quædam conversæ sunt retro Satanam.* 1. ad Timoth. 5. v. 11. Quæ est hæc fides, nisi fidelitas, quam promissio per votum facta, includit. Hanc irritam fecerunt, dum nubere voluerunt, aut nupserunt. Nuptiæ enim fidem theologicam, & salvificam non faciunt irritam: aliàs Pater Lutheranismi cum sua Moniali, & pares illis Monachi, & Moniales eandem non habuissent, quod Lutheranismus non concedet, esto id certum sit ex alia ratione.

Infertur *3tio* Ergo non placet Deo, si quispiam votum faciat dandi aliquid servis Dei, qui templa, vel scholas curant: nec si emittat votum providendi pauperibus studiosis stipendia, curandi viduas, & pupillos: aut si pecuniis careat, diligentiùs imposterum Ecclesiam, & Cœnam Domini frequentandi: domesticos in catechismo erudiendi; quotidie unam horam lectioni Bibliorum, & orationi impendendi: nunquam cubitum concedendi, nisi præmisso priùs examine actorum totius diei. Non placent inquam Deo, hæc vota; quia non sunt de rebus à Deo præceptis. Ubi enim hæc præcepta leguntur in sacra scriptura? Et tamen illa Lutheranismus per Prædicantes, & Doctores suis clientibus suadet, ut videre potes in Probat: Papat. D. Schelvigij cap. 27. de votis, pag. 483. Igitur homines isti suadent suis, quod Deo non placet, & illaqueant conscientias. Nisi enim hæc vota impleant, peccant, ùt ex citatis Illàto *I.* Scripturæ sententiis patet. Valetq; contra suasores similium votorum, & contra illos, qui se iisdem obstringunt, illatio, & consequentia, quam contra voventes in Catholica Ecclesia, non præcepta à Deo idē

D. Schelvigius capite citato formavit: *Ergo ſtultum eſt, ſimilia Deo offerre, ſeu vovere.* Cùm enim Lutheraniſmi Doctores, & ipſe Schelvigius, vota de iis ſuadent facienda, quæ nuſquam ſunt præcepta, nunquid ipſe ſuam doctrinam ſubruit? aut ad ſtultitiam homines inducit?

Infertur *4to.* Ergo votum Annæ, uxoris Elcanæ 1. Reg. c. 1. quod fecit de concedendo filio ad Dei obſequia omnibus diebus vitæ, & de non radendo capite ipſius Novaculâ, non placuit Deo; quia fuit de re, non præcepta à Deo. Poterat ergo illud, acceptô per ſingularem Dei benedictionem filiô, abſq; metu diſplicendi Deo, non implere. Nam quæ Deo non placent, certè non ſunt implenda. At meliùs illa fidem ſuam exſolvit, quàm Lutheraniſmi Pater, & Mater, de data perpetua caſtitate. Nè illa videretur velle ſubvertere, quæ ex Scripturis S. ſupra illata ſunt, ſi ſecus ageret.

Infertur *5to.* Ergo non placet Deo votum illud, quo in vitio v. g. maledicendi, pejerandi, inebriandi, mentiendi &c. habituatus, Deo ſe obſtringit, toties ſe jejunio caſtigaturũ, vel certã pecuniã Eccleſiæ largiturũ, quoties illud vitiũ ſeu deliberatè, ſeu indiliberatè comiſerit, quo aduſq; ſe habitu illo, & conſuetudine maledicendi, vel pejerandi &c. exuat. Quia Deus hæc media ad deſveſcendum à malis habitibus nuſquam præcepit, ſed ab hominibus inventa ſunt, & quidem à Catholicis Confeſſariis, qui ea non vovere, ſed ſolùm propoſito firmare ſuadent, nè in laqueos conjiciant pœnitentes, & peccatorum materias augeant. Et tamen talia vovere ſuadet ſuis Lutheraniſmus in Probat. Papat. D. Schelvigij cap. 27. Ergo ſuadet, quæ DEo non placent. Quia de illis rebus, quæ ipſe non præcepit.

DOG-

DOGMA XX.

Sola Scriptura sacra est Judex Controversiarum Fidei.

HUIC Dogmati adeò affectus est Lutheranismus, ut ejus asseclæ nihil frequentiùs crepent, quàm: *Ubi hoc in Biblijs scriptum*? Hoc solo illos Catholicæ fidei Articulos subruere volunt, de quibus cum illa lites gerunt. Interim vix ullum turpiùs S. Scripturam devastat; vix ullum fortiùs isto Lutheranismum aggreditur, & subruit. Nam illo admisso

Infertur *1mo*. Ergo moventi controversiam, utrùm hic Codex, quem Biblia, aut S. Scripturam appellas, sit verè DEi Verbum? Si affirmativè respondes, affirmatio vel per aliam Scripturam S. vel per hanc ipsam est probanda: cùm sola Scriptura sit Judex Controversiarum Fidei. Est autem Articulus Fidei etiam in Lutheranismo, hunc Codicē esse verè Dei Verbū. Neutra autem ad munus Judicis in hoc puncto assumi, vel admitti potest. Non alia Scriptura S. Quia de hac ipsa idem movebitur dubium ab adversario: Non hæc, quam defactò habes: Tum quia se talem Judicem esse nusquam asserit. Tum quia esset Judex in propria causa: qualis etiam in hoc foro non admittendus.

Infertur *2do*. Ergo in dubijs Fidei solâ Scripturâ S. tanquā Judice sententiam ferente, quilibet securè credet, quod ipsa enuntiat, præsertim dum quo ad articulos Fidei sit clara, & perspicua, ùt asseruit Dogma 1. v. g. dubitat aliquis, utrùm Filius DEi sit Patre junior, minor &c. & consequenter ipsi inæqualis, ùt vult Arius, & Socinus: Dubitat utrùm Spiritus S. procedat à Filio &c. Convenit Judicem, & legit clarum ejus effatum: *Pater major me est*. Joan. c. 14. v. 28. *Non est meum dare vobis, sed quibus paratum est à Patre*. Matth. 20 v. 23. *Paraclitus ...qui à Patre*

 procedit

procedit &c. Joan. 15 v. 16. Securè credet, Filium Patre esse minorem, & consequenter ei inæqualem: Spiritum S. à Filio non procedere: Quia id S. Scriptura non asserit. Et quidem eò securiùs, quò tenaciùs Dogma 1. sustinet. Atqui hoc Lutheranismum evertit, qui neq; Arium, neq; Græcos in his sequitur.

Infertur *3tio.* Ergo S. Scriptura errat, & seducit, quando dubios in rebus Fidei, non ad se, tanquam ad Judicem, vocat, sed ad homines Sacræ Legis peritos, atq; ad Sacerdotes tanquã Judices, pro indicanda sibi veritate remittit, Deuter. 17. v. 9. Et. 2. Paralip. c. 19. v. 10. *Omnem causam, quæ venerit ad vos fratrum vestrorũ* (alloquitur nomine DEi Rex Josaphat Levitas, & Sacerdotes, & Principes Familiarum Isràël.) *ubicunq; est quæstio de Lege, de mandato, de Ceremonijs, de Justificationibus .. Ostendite eis. Amarias autem Sacerdos & Pontifex vester in his, quæ ad DEUM, præsidebit*, Nimirum tanquam Iudex. Neq; in Evangelica Lege sublatum est. Quo enim loco? Immò confirmatum, quando cum dubijs initio Ecclesiæ exortis, ambigentes non ad S. Scripturam tanquam ad Judicem, sed ad Apostolos, & Concilia, pro ijs resolvendis, ac decidendis recurrebant, à quibus infallibilem sententiam acceperunt, ùt ex Actis Apostolorum, & sequentiũ deinceps Conciliorum, contra varios Hæresiarchas congregatorum, in aperto est.

Infertur *4to.* Ergo Paulus, & Antiocheni erraverunt, quando cum dubio de circumcidendis Gentilibus non ad S. Scripturam tanquam ad Judicem, sed ad Petrum, & reliquum Concilium appellaverunt, Actor. c. 15. Imò & illud ipsum Concilium erravit, quando non ex Judicis Scripturæ sententia, sed ex authoritate Petri, ac Revelatione Divina, seu instinctu DEi, quem Spiritum S. appellat, sententiam negativã decrevit, non obstante, quòd S. Scriptura clarè definiat: *Omne masculinum circumcidendum*

dum esse. Nec juvat: tunc nondum completam exstitisse S. Scripturam, qualem nunc habemus. Nihil enim novi (ùt etiam Lutheranismi Doctores contendunt) codex novi testamenti continet, sed ùt nuncleus in cortice nucis, sic ille in antiquo comprehenditur. Ex illa igitur nuce excutiendus erat Paulo, & Antiochenis nucleus veritatis, nè alius Judex ad decidendum exortum dubium quæreretur.

Infertur *5to*. Ergo codex ille, qui Biblia, seu Scirptura sacra dicitur, est persona publica ad id constituta, ut secundùm legis Divinæ præscriptum litigantibus de rebus fidei jus dicat, & veritatem decernat. Hæc enim est Judicis controversiarum ab omnibus acceptata definitio; quam etiam Scripturæ S. ùt Judici, convenire oportet. Quis autem dicat, codicem illum esse personam, & non potius regulam, atq; normã, secundùm quam legitimus Judex debet judicare & decernere.

Infertur *6to*. Ergo inter illos, qui solam S. Scripturam volunt judicem controversiarũ, nullæ sunt controversiæ circa fide dogmata, nullæ doctrinæ, ac sententiæ de eodem objecto sibi oppositæ. Idem enim infallibilis Judex oppositas sententias de eodem puncto litigantibus non potest decernere; aliàs non esset infallibilis: cùm inter duo opposita, affirmationem scilicet, & negationem circa rem eandem, unum necessariò debeat esse falsum. Igitur inter Lutheranismi Doctores non sunt oppositæ fidei doctrinæ. Et unde ergo Syncretistæ, Adiaphoristæ, Osiandristæ, Pietistæ &c. sexcenti? Nulla inter hos, & Calvini, Sociniq; asseclas contraria, & contradictoria fidei dogmata, v. g. de prædestinatione, de cœna, de auctore peccati &c. Unde igitur tot Scriptorum conflictus? Profectò si omnes isti unum, & solum Judicem Scripturam S. agnoscunt, ejusq; decretis acquiescunt, nullæ lites inter ipsos locum habere possunt. Contrarium

um tamen orbis jam ferè per ducentos annos admiratur.

Infertur *7mo.* Ergo in Lutheranismo persistentibus, celebrandum est Pascha die. 14. Martij cum Judæis, non verò cum Catholicis sequente præfatam diem immediato Dominico. Nā esto dies Dominicus esset, quo Christus D. à mortuis resurrexit, adhuc illis præscriptus, ac determinatus à Judice Scriptura dies Mensis pro Paschali observandus esset, nè suum dogma evidenter subruant, cùm de Dominico die, quò festum illud celebretur, nulla sit in Scripturis S. mentio.

Infertur *8vo.* Ergo parvuli rationis usu carentes, non sunt baptisandi ex Lutheranismi sententia. Quia Judex Scriptura decernit, baptisandos, priùs oportere instrui in ijs, quæ ad Fidem Christi amplectendam sunt necessaria, utq; priùs credant, quàm Baptismum recipiant, quemadmodum patet ex Matth. cap. 28. v. 19. & Marci cap. 16. v. 16. Atqui actualem hanc fidem parvuli rationis usu destituti non habent, quæ teste Apostolo acquiritur *ex auditu, auditus autem per verbum*, Roman. cap. 10. v. 17. Cujus Verbi, seu doctrinæ utiq; sunt incapaces: neq; illis quisquam ante baptismum prædicat Evangelium. Unde eos propriam actualem fidem habere, & idcirco baptisandos esse, prorsus figmentum est, de quo Lutheranismi Parens primus somniavit: nec ullo Scripturæ S. testimonio, tanquam Judicis, decreto, præterquam vitiosa in circulum argumentatione, confirmavit. Nimirum, baptisandos esse, quia credunt: credunt autem, quia sunt baptisandi.

Infertur. *9no.* Ergo in Christo duæ sunt Personæ, Primò *Divina*; quia Judex Scriptura S. decernit, Christum esse Filium DEi; adeoq; Personam unam ex Tribus, quas in Deitate credimus. Deinde, *Humana.* Quia idem Judex asserit, Christum esse verum Hominem; nam eum dicit esse Filium hominis. Hoc

ipso autem, quia homo, & filius hominis est, Persona illi humana ex ipsa natura competit, quæ cuilibet homini, utpote naturæ rationali est connaturalis, in quocunque demum Personalitas consistat. Et sanè hanc illi nusquam Judex Scriptura S. denegat clarè, & perspicuè, quod ad articulum Fidei, qualis etiam iste est, Dogma 1. requirit. Ubi enim hanc, aut semel sententiam enuntiat: *In Christo non est subsistentia, seu Personalitas humana, sed solùm Divina*; ut in ipso solam Personam Divinam, non autem etiam humanam Fide Divina profiteamur.

Infertur 10*mo*. Ergo Christus non est Mediator secundùm utramque naturam, Divinam scilicet, & humanam, ùt vult Lutheranismus, sed secundùm humanam duntaxat. Quia Judex Controversiarum Scriptura S. non decernit absolutè Christum JESUM esse Mediatorem inter DEum, & homines, sed cum restrictione; nimirum. *Hominem JESUM CHristum* 1. ad Timoth. c. 2. v. 5. ut hac restrictione, per ly *Hominem*, clarè doceat, Christũ Jesum non esse Mediatorem nostrum secundùm naturam Divinam sumptum, sed solùm secundùm naturam humanam spectatum, unitam immediatè personalitati Divinæ, à qua actiones, & mediatio illius habet valorem, pretium & dignitatem ad satisfaciendum Deo de condigno pro nobis. Nam Christus secundùm naturam Divinam spectatus, non est medius inter Deum, & homines, sed æqualis Deo. Mediator autem debet esse medius inter duos. Unde S. Augustinus lib. 10. Confess. cap. 43. de Christo loquens, ait: *In quantum homo, in tantum Mediator: in quantum autem Verbum, non medius, sed æqualis est Deo.* Et lib. 2. de peccato Originali, cap. 28. *Non per hoc Mediator est, quod æqualis Patri; per hoc enim quantum Pater, tantum & ipse à nobis distat. Et quomodo erit medietas, ubi eadem distantia est? ... Per hoc ergo Mediator, per quod homo inferior Patre, per quod nobis propinquior.*

Infertur 11mo. Ergo in Deo, ſeu natura Divina non ſunt tres Perſonæ reales, quod Sabellii, & Mennonis aſſeclæ contendunt. Nam Judex Scriptura S. nuſquam claré & perſpicuè definit, Patrem, Filium, & Spiritum S. eſſe tres Perſonas reales. Et tamen tales credit Lutheraniſmus. Quod ſcriptum eſt Matth. c. 28. *Baptiſantes eos in nomine Patris, & Filii, &, Spiritus S.* Et 1. Joan. cap. 5. *Tres ſunt, qui teſtimonium dant in cælo, Pater, Verbum, & Spiritus S.* Non exhibet clarè tres Perſonas Divinas: quia nulla fit Perſonæ mentio: aliàs Menno, & Sabellius non contradicerent.

Infertur 12mo. Ergo Catholica Eccleſia rectè agit, dum laicis, & ſolùm communicantibus, ſub una tantùm ſpecie S. Euchariſtiam miniſtrat. Quia id Judex Scriptura S. nuſquam clarè & perſpicuè improbat. Imò pro illa non obſcurè decernit, dum ſub ſola Panis ſpecie Euchariſtiam ſumentibus, vitam æternam promittit: *Si quis manducaverit ex hoc Pane, vivet in æternum.* Joan. 6. *Panis, quem ego dabo, Caro mea eſt pro mundi vita.* Ibid. Inſuper, nuſquam judicialiter decernit, Copus & Sangvinẽ Chriſti ſub utraq; ſpecie à Communicantibus tantùm, eſſe ſumendum. Quod enim ſub utraq; ſpecie hoc Sacramentum ſit inſtitutum, non ſequitur legitimè, ſub utraq; ab omnibus eſſe ſumendum. Alius enim finis eſt inſtitutionis, nimirum commemoratio cruentæ paſſionis, ac mortis Chriſti, cujus gratiâ hoc Sacramentum primariò eſt celebrandum, ac conficiendum: *Hoc facite in meam commemorationem*: alius ſumptionis; ſcilicet augmentũ vitæ ſpiritualis in anima, & acquiſitio æternæ, ſi in priore uſq; ad finem perſeveraverit. Quod ipſe Inſtitutor Chriſtus illis verbis, Joan. 6. v. 54. ſignificavit: *Niſi manducaveritis Carnem Filii hominis, & biberitis ejus ſangvinem, non habebitis NB. vitam in vobis*: id eſt ſpiritualem in anima. Et rurſum: *Qui manducat meam Carnem, & bibit meum Sangvinem* (intellige dignè, ut

ut explicat S. Apost. Paulus 1. Corinth. cap. 11.) *habet vitam æternam.* Cùm igitur sub una specie Panis Corpus & Sangvinem esse credamus, sub illa sola utrumq; sumendo finem istum consequimur ipso Christo denuntiante: *Qui manducat me, & ipse vivet propter me.* Joan. 6. v. 58. Scilicet hîc spiritualiter in hac vita: in altera verò: *Qui manducat hunc Panem, vivet in æternum.* Ibidem v. 59.

Infertur *13tio.* Ergo Communicantibus tantùm, Calix consecratus non est necessariò ministrandus. Quia hoc necessarium jus Calicis nusquam ijsdem Judex Scriptura S. decrevit, sed *Facientibus*, id est sacrificantibus, & conficientibus, dicente Christo: *Hoc facite in meam commemorationem.* Nimirum sicut & ipse Christus Sacerdos secundùm ordinem Melchisedech tunc *fecit:* id est consecravit Panem in Corpus, & Vinum in Sangvinẽ suum: atq; ritu Melchisedech Sacerdotis, tunc Sacrificium Deo, in Pane, & Vino obtulit, *est enim Sacerdos in æternum secundùm ordinem Melchisedech*, attestante Regio Vate Psalm. 109. Quòd si eo tempore non sacrificavit, nunquam munus sacerdotale secundùm ordinem Melchisedech exercuit, qui Panem & Vinum Deo in Sacrificium offerebat; *erat enim sacerdos Dei altissimi.* Genes. 14. v. 18. Tum quia ijsdem tantùm Christus dixit: *Bibite ex eo omnes*, nempe Calice, quibus dixerat: *Hoc facite.* Quod utiq; solùm communicantes non necessariò, immò nè simpliciter quidem concernit, siquidem *non faciunt*, non consecrant, non sacrificant, seu non faciunt, quod fecit Christus.

Infertur *14to.* Ergo non rectè credit Lutheranismus Spiritum S. procedere etiam à Filio. Quia Judex hujus Controversiæ Scriptura S. processionem illius solùm à Patre clarè decernit: *qui à Patre procedit.* Joan. cap. 15. Processionem verò etiã à Filio nusquam clarè definit: quod tamen juxta Dogma I. tan-

quam ad articulum fidei requiritur. Ergo Lutheranismus non tenetur processionem Spiritûs S. à Filio credere, sed cum Schismate Græco eandem negare.

Infertur 15to. Ergo perperam negat Lutheranismus Matrimonium esse Sacramentum. Quia Judex Scriptura S. clarè illud denuntiat: *Sacramentum magnum.* Ephes. c. 5. v. 32. Perperam utitur formâ sibi à Patre suo, vel à Symbolistis suis ad contrahendum Matrimonium conscripta; perperam denuntiationibus, assistentiâ ministrorum vel testium, perperam tot aliis ceremoniis: quia Judex Scriptura S. nusquam Matrimonium hoc modo celebrandum definit. Cujus sententiam in hac materia claram esse oportet juxta Dogma I. utpote ad vitam, & mores Christianos spectantem, præcisâ etiam ratione Sacramenti.

Infertur 16to. Ergo non baptisati possunt baptisari tantùm: *In nomine JESU Christi*, omissâ formâ, quâ utitur Ecclesia Catholica ex cap. 28. Matth. v. 19. Sic enim tempore Apostolorũ esse baptisatos Actor. 8. v. 13. Et ibid. cap. 13. v. 5. Judex Scriptura enuntiat. Neq; dicit adhibitam esse formam: *In nomine Patris, & Filij, & Spiritûs S.* Cur igitur simili forma ex Actis Apostolorum non utitur Lutheranismus in baptismo suorũ, cùm Judex eam in usu fuisse denuntiet. Si dicas, posse etiam illâ formâ baptismum conferri, cùm in Scriptura S. clara exempla existent: Cur non similiter quoq; dicis, posse nos etiam sub una specie Eucharistiâ uti, nec ad utramq; Christi præcepto necessitari, cùm in iisdem Actis Apostolorum manifesta exempla habeamꝰ, illam sub una specie fuisse ministratam, ut superiùs retuli Dogmate XI. Illato 5. Si enim non obest Sacramento Baptismi, neq; baptisato, non eâdem formâ uti ad illud conficiendum, quam Christus in ejus institutione præscripsit; certè nec obesse debet, quòd Sacramento Eucharistiæ non eodem modo utimur, quo

ipse

ipse illud instituit. Minus est enim usum, quo ad modum duntaxat, quàm formam Sacramenti permutare, præscriptam ab Institutore ipso.

Infertur *17mo.* Ergo Missa Ecclesiæ Catholicæ non est cauda Draconis (ùt eam contemptim appellant Ministri Lutheranismi ad excitandam rudis plebeculæ aversionem) Quia Judex S. Scriptura nullibi eam tam scurrili scomate compellandam censet. Sed potiùs est verum Sacrificium secundùm ritum Melchisedech, in Pane & Vino ab ipso Christo quò ad rem, & essentiam sub tempus ultimæ suæ Cœnæ, institutũ. De illo vaticinatus est Malachias Propheta c. 1. v. 11. loquente per os illius Deo: *In omni loco sacrificatur, & offertur Nomini meo oblatio munda.* Hoc præ oculis habuit Isaias cap. 66. vaticinans, *assumendos à Deo de cunctis gentibus sacerdotes.* Et S. Apost. Paulus ad Hebr. 13. v. 10. asserens: *Habemus Altare de quo edere non habent potestatem, qui tabernaculo serviunt.* Si enim habemus Altare, si sacerdotes, si oblationem mundam, necesse est, nos Christianos habere sacrificium. Hæc enim omnia sunt in ordine ad sacrificãdum. Et quæ obsecro hostia tempore Antichristi, quod sacrificium tempore abominationis, ac desolationis in loco sancto deficiet? de quo Propheta Daniel cap. 9. v. 27. vacinatus, si non hæc nostra cum Sacrificio. Id enim allegoricè, & typicè per illam defectionem significavit, dum quò ad literam de hostia, & sacrificio veteris legis dixit: *Deficiet hostia, & sacrificium.* In hoc esto plures ceremonias adhibeamus, quæ Salvatoris nostri passionem in memoriam reducunt, rem tamen, & essentiam non aliam habemus præter illam, quam Christus ipse instituit, & in memoriam sui, fieri præcepit.

Infertur *18vo.* Ergo Christus est verè, & realiter præsens in Eucharistiæ Sacramento etiam ante, & extra sumptionem.

Quia Judex S. Scriptura, recēſens verba inſtitutionis, ait: Panē à Chriſto Domino in manus acceptum, benedictum, fractum, diſcipuliſq; datum, *eſſe corpus illius*, quod pro nobis tradendum erat: ſimiliter Calicem, *eſſe novum teſtamentum in Sangvine ipſius &c.* qui pro nobis erat effundendus, idq; priùs, quàm ullā ſumptionis mentionem feciſſet, ùt clarum eſt ex Evangelio Lucæ cap. 22. Si enim ſumptio tam Panis, quàm Calicis eſſentialiter requireretur ad eſſe Corporis & Sangvinis Chriſti, ità ut non niſi per illam efficeretur ex Pane, & Vino, (ſeu ut vult Lutheraniſmus, in Pane, & Vino) Corpus & Sangvis Redemptoris noſtri, certè id Evangeliſta non ſubticuiſſet; quemadmodum non ſubticuit formam, & materiam utriuſq; quidquid ſit, quòd alii duo ſacri ſcriptores mentionem ejuſdem faciant, illamq; ante verba conſecrationis ponant. Multa enim alia ante conſecrationē dixit, & fecit Chriſtus, quæ tamen ad eſſe Corporis & Sangvinis Chriſti ſub Panis & Vini ſpecie, non ſunt etiam præſentialiter neceſſaria. V.G. ablutio pedum, accubitus menſæ, acceptio Panis & Calicis in manus, fractio panis, diviſio calicis &c: Quorum nullum omnino cenſet eſſentialiter neceſſarium ipſe Lutheraniſmus ad eſſe præſentiæ Corporis & Sangvinis Chriſti. Pedes enim ante cœnā non abluit Miniſter cōmunicaturis ſecundùm Chriſti exemplum, eſto id videatur Chriſtus præcepiſſe, dicens: *Exemplū dedi vobis, ùt quemadmodū ego feci vobis, ità & vos faciatis.* Joan. 13. v. 15. Et ſuperiùs: *Si ego lavi pedes veſtros Dominus & Magiſter, & vos debetis alter alterius lavare pedes.* v. 14. Communicantes non accumbunt menſæ, ſed ad illam flectunt, vel ſtant erecti. Panis & Calicis in manus acceptio eſto ſit in uſu, non tamen eſſentialiter requiritur ad hoc, ut ſit præſentia Corporis, & Sangvinis Chriſti ſub ſpeciebus, ſeu, ut vult Lutheraniſmus, in Pane, & Vino. Aliàs quælibet particula conſecranda

da seorsim in manus accipienda esset; similiter quoq; omnes calices, dum pro millenis communicantibus plures consecrantur. At neq; fractio Panis, nec divisio Calicis essentialiter ad id requiritur. Nam etiam in Lutheranismo jam fractus, aut scissus in particulas panis, affertur ad altare benedicendus. Tum quando pro uno infirmo Minister Lutheranus in ejus domestica mensa, Panem & Calicem benedicit, neutrum dividit, sed utrumq; integrũ illi porrigit. Ergo etiam sumptio, esto eam Christus intenderit, & ejus ante verba consecrationis mentionem fecerit, non erit necessaria essentialiter ad esse præsentiæ Corporis, & Sangvinis Christi. Præterea: quia non sumptio Apostolorum effecit ex Pane, & Vino Corpus, & Sangvinem Christi, sed omnipotens illius verbum: *Hoc est Corpus meum: Hic est enim sangvis meus.* Hæc enim verba non protulit in actuali eorum sumptione, sed dum illis traderet Panem & Calicem, adjiciens rationem sumptionis per particulam causalem *Enim*, ut legitur apud Matthæum cap. 26. v. 28. in benedictione Calicis. Quasi diceret: Bibite, quia hic est Sangvis meus. Non dixit: bibite, & erit, seu fiet Sangvis meus: neq; dixit: comedite, & erit in comestione vestra, seu fiet Corpus meum; sed, *bibite, est enim sangvis meus; comedite, hoc est Corpus meum.* Ubi esto particulam *Enim* non expresserit Evangelista, sufficit eam expressisse in benedictione Calicis. Nam si Calix ante sumptionem fuit sangvis Christi vi illius verborum, certè etiam vi ejusdem verborum Panis factus est Corpus ipsius. Tandem Judex Scriptura enuntiat, Panem Eucharisticum, esse *Panem vivum*: esse *Carnem Christi pro mundi vita*, Joan. cap. 6. independenter ab ulla sumptione; quidquid sit, quod sumptionem commendet ad assequendum effectum, quem causat in sumentibus, de quo superius. Ergo in eo, quod dicitur *Panis vivus*, *Caro pro mundi vita*, verè, & realiter

ter Christus est præsens etiam extra sumptionem.

Infertur 19no. Ergo Christus in Eucharistiæ Sacramento est adorandus: rectéq; ac debitè à Catholica Ecclesia adoratur. Quia Judex Scriptura S. decernit: *Dominum Deum tuum adorabis*, Matth. cap. 4. *Adorate eum omnes Angeli ejus*, Psalm. 96. *Et cum iterum introducit primogenitum in orbem terræ* (quod fit, quando legitimus Minister Panem & Vinum verbis Institutionis Christi benedicit) *ait: & adorent eum omnes Angeli Dei.* Si enim credimus Christum verè esse præsentem sub Eucharisticis speciebus, eum utiq; ut Deum ibidem absconditum, & singulari modo præsentem, revereri, & adorare non solùm licitè possumus, sed etiam secundùm allatas Judicis sententias obligamur. Nec obest, nullum de adorando in Eucharistia Christo, speciale mandatum in Scripturis S. exstare: sufficit enim universale mandatum de adorando Deo, quem speciali modo verè præsentem credimus in Eucharistia, supposita ibidem præsentia Corporis, & sangvinis Christi, cui utiq; *Verbum Divinum* hypotasticè unitum etiam Lutheranismus profitetur; nec illud in suo benedicto Pane, saltē in sumptione à Christo separat. Et profectò etiam illi, qui Christum, seu adhuc in mortali carne viventem, seu jam gloriosa, ac immortali post resurrectionem à mortuis fulgentem adoraverunt, nullum speciale mandatum de ipso adorando habuerunt, esto non venerat, ut adoraretur, sed ut nos redimeret. Et sic sine ullo mandato speciali, de quo nobis ex S. Scripturis constaret, Magi eum adoraverunt in stabulo Matth. 2. Leprosus Matth. 8. Mater filiorū Zebedei Matth. 20. Cæcus ab ipso illuminat9 Joan. 9. Mulieres redeuntes à monumento, & Apostoli in Galilæa adoraverunt à mortuis redivivum Matth. 28. pluresq; alij, ut passim in Evangelio reperies. Quod ideo fecerunt, quia credebant eum verè filium DEi esse, licèt humana carne circumdatum.

datum. Hanc autem adorationem Christo exhibitam nemo prudens atq; fidelis hactenus reprehendit, aut Idololatriam appellavit. Ergo etiam modò eidem Christo sub speciebus Panis (seu ùt vult Lutheranismus, in Pane) verè existenti Divinus honor adoratione latreuticâ exhiberi potest; exhibendusq; est, quamvis nullum de hoc cultu speciale mandatum legamus. Nec est periculum, ne species Eucharisticas, aut Panem adoremus, & hoc modo Idololatriam committamus, dum Christum sub illis latentem adoramus. Aliàs etiam illis, qui eundem, ùt retuli, adoraverunt, ob idem periculum ab adoratione fuisset abstinendum, nè scilicet Christum adorando, pannos, aut vestes, quibus erat indutus, Divino cultu afficerent, & Idololatriam comitterent, quam tantopere timet Lutheranismus.

Infertur *20mo.* Ergo blasphemi sunt, atq; sacrilegi, qui Christum in Eucharistia præsentem credunt, non tamen ipsum adorant, imò nullatenus adorandum verbis, scriptisq; docent. Cum enim Judex S. Scriptura Christum tanquam verum DEum adorandum decernat, exemplaq; exhibeat adorationum illi factarũ, ùt immediatè ostensum, quidquid sit de statu, & modo, quo se tunc habuit, hic enim illi nihil addit, aut imminuit de sua Deitate; blasphemus est, qui id negat, utpote Divinis effatis sui Judicis contradicens: & sacrilegus; quia debitum DEo cultũ surripit. Utriusq; autem criminis reus est, qui aliis idem seu verbo, seu scripto suadet.

Infertur *21mo.* Ergo injustè, & calumniosè à Lutheranismo Catholici proclamantur Idololatræ, scurriliterq; ridentur ab ejus clientibus ob adorationem Christi in Eucharistia. Cùm enim id, quod adorant ipsa S. Scriptura Judice, credant esse Corpus & Sangvinem Christi, cui personaliter unitum est verbum Divinũ, certè per summam injuriam, & calumniam Idololatræ accu-

ſantur. Aliàs etiam illi omnes Idololatriæ arguendi eſſent, qui eundem Chriſtum ante, & poſt reſurrectionem cultu adorationis Divinæ honoraverunt.

Infertur *22do.* Ergo non eſt præceptum Chriſti, ut omnibus communicantibus laicis conſecratus calix miniſtretur. Quia Judex S. Scriptura nuſquam hoc præceptum ſancivit. Eſto enim pronuntiet: *Bibite ex hoc omnes*, tamen non addit, *fideles*; ſed hoc addidit interpretatio diſſidentium, quorum gloſſa non eſt verbum Dei: adeoq; non conſtituit articulum fidei, & præceptum Chriſti omnibus communicantibus impoſitum. Quia de hac explicatione, an ſit vera, ità ut Ly *Omnes*, omnino referendum ſit ad omnes fideles, vel ad Apoſtolos tantùm, qui præſentes aderant, hactenus non habemus in S. Scripturis revelationem Divinam claram & perſpicuam, quæ ad articulum fidei, & præceptum Chriſti à nobis indiſpenſabiliter obſervandum ſufficiat. Et ſi præceptum continent illa verba, jam impletum eſt ab illis, quibus datum erat, teſte Evangeliſta Marco cap. 14. v. 23. *Et biberunt ex illo omnes.* Si de calice jam tunc biberunt omnes, ergo jam nunc nullus reſtat, qui, ad illum meritò poſſit jus prætendere, aut præceptum illud modernis fidelibus imponere. Si dicas per ly *Omnes*, hoc loco ſolos Apoſtolos, qui aderant, ſignificari, qui calicem inter ſe diviſerunt juxtâ Chriſti mandatũ Luc. 22. v. 17. Quæro qua Scripturæ S. ſententia id confirmas? deinde: ergo etiam in priori textu ly *Omnes*, ſolos Apoſtolos concernit. Quia quibus Chriſtus dixit: *Bibite ex hoc omnes*, illos Marcus teſtatur *bibiſſe omnes*. Ergo ad hoc *Bibite omnes*, non pertinent neceſſariò, & præceptivè omnes fideles communicantes. Ergo ad calicem fruſtra ab iis jus prætenditur. Nec praxis Corinthiorum 1. cap. 11. præceptũ efficit, aut interpretationem, quam Lutheraniſmus affert. Huic enim pra-

xi opponimus aliam Actor. 2. v. 41. Et Actor. 20. v. 27. ubi in communicatione, & fractione Panis perseverabant fideles. Ex qua facilè inferimus, illud, *bibite ex hoc omnes*, non necessariò interpretandum esse de omnibus fidelibus. Quandoquidem fideles citatis S. Scripturæ Capitibus, Calice non sunt usi. Quibus locis figura Synechdoche, per quam Lutheranismus putat sacrum Scriptorem posuisse partem pro toto, non juvat. Hæc enim opinio est arbitraria, & interpretatio privati spiritûs, quæ nullâ sententiâ ex S. Scripturis confirmari potest, præter principij petitionem: *Bibite ex hoc omnes*.

Infertur 23*tio*. Ergo neq; Baptismus, neq; Eucharistia dicenda sunt Sacramenta, multò minùs hæc, dicenda est Cœna. Quia Judex controversiarum S. Scriptura nusquam illis has denominationes decernit. Quòd autem Eucharistia nocte sit instituta, malè idcirco appellanda est Cœna. Aliàs enim à Lutheranis nocte duntaxat celebranda esset. Quis enim illos quò ad tẽpus celebrandæ dispensavit. Tum quia res non bene desumunt denominationes à tempore, quo instituuntur, vel fiunt: aliàs lux appellanda esset tenebræ. Quia tenebræ erant super faciẽ abyssi, dum eam Deus faceret. Gen. cap. 1.

Infertur 24*to*. Ergo falsum est, duo solùm esse aut tria Sacramenta. Quia hunc numerum illorum nusquam Judex controversiarũ definivit, quod tamen ad dogma fidei requiritur. Nec valet ulla in hoc puncto argutatio Lutheranismi, ubi clara, & perspicua Judicis sententia exposcitur. Quam quia non potest afferre, ideò sibi ipsi de numero Sacramentorum minimè constat. Aliqui enim illius propugnatores duo, alii tria, alij fortasse plura, aut pauciora numerant.

Infertur 25*to*. Ergo licitum est sanctos cum DEo in cælis regnantes colere, eo cultu, qui illis congruit, & Duliæ nomine

ex placito compellatur, mediusq; inter Divinum & purè civilem ponitur: quali eos colit, & semper coluit Ecclesia Catholica. Quia Judex controversiarum S. Scriptura nusquam hunc cultum improbat, nusquam eum Idololatriam appellat? Immò si Judicis controversiarum sententiam bene perspexerit Lutheranismus, latam in Epist. ad Roman. c. 2. v. 10. cæcus est, nisi sanctos, cultu illis conveniente, venerandos, & honorandos videat. Quid enim vult illo effato: *gloria, & honor, & pax omni bene operanti*, nisi cultum, & honorem sanctis exhibendum? Si enim sancti sunt, & cum DEo regnant in cælis, bene operatos fuisse, extra controversiam est. Nemo enim, qui malè operatus est (nisi pœnitentiam prout oportet, egerit priusquàm fatis cessit, quod ipsum quoq; est bene operari) cum Deo in cælis regnat: adeoq; illis gloria, & honor exhibendus, quem Judex decernit. Nec valet si reponat Lutheranismus, Judicem duntaxat loqui de viventibus adhuc in terra. Si enim viventibus, qui bene operantur, gloria, & honor decernitur ab aliis exhibendus, multò magis jam in cælis cum Deo regnantibus, quos ipse Deus gloriâ, & honore afficit, juxta veritatis æternæ oraculum: *Qui mihi ministraverit, honorificabit eum Pater meus*. Joan. 12. v. 26. illosq; pace sempiterna donavit. Nec valet, si ultrà dicat: civilem tantummodo honorem, & cultum sanctis illâ sententiâ decerni. Profectò enim non civilis, seu naturalis est excellentia sanctorum in cælis, ob quam honorantur, & coluntur: sed civilitatem omnem, atq; naturam superans. Hæc enim resultat ex donis supernaturalibus sanctorum, quæ habent à DEo, ex gratia, & amicitia Divina, ex visione beatifica, qua fruuntur, ex inamissibilitate harum gratiarum &c. Ergo etiam honor, & cultus, qui illis ex motivo excellentiæ istius supernaturalis exhibetur, non est merè civilis, sed civili longè præstantior, religi-

osus scilicet, & medius Divinum inter, & civilem.

Quod Lutheranismus contra eundem cultum affert: *Soli DEo honor, & gloria. Dominum DEum tuum adorabis, & illi soli servies.* Certè nihil sanctorum cultui derogat. Nam si hæ sententiæ sumantur, ut sonare videntur, sanè multùm per illas probabit. Nam si *soli DEo honor & gloria*; ergo nulli Magistratui, nulli superiori honor à subditis exhibendus. Neq; filii tenebuntur honorem parentibus exhibere, neq; servi dominis suis, neq; unus alterum audebit honore prævenire, ut jubet Apostolus ad Roman. 12. v. 10. Quia *soli DEo honor.* Nemo audebit reverentiam genuum inflexione homini facere: nemo ulli hominum servire, nam *Dominum DEum tuum adorabis, & illi soli servies.* Igitur omnes erunt Idololatræ, qui genu aliis inflectunt. V. g. omnes fœminæ Lutheranæ reæ erunt Idololatriæ, quando juxta consuetudinem sexûs, dum salutant, aut salutantur, genua curvant hominibus: omnes qui serviunt hominibus, censendi sunt Idololatræ. Quia solus DEus genuflexione adorandus, illi soli serviendum. Qui secus faciunt, Idololatriam committunt à qua Lutheranismus suos non absolvet, nisi honorem, adorationem, & servitutem bene condistingvat. Aliàs illi DEus dicit: *Honorem meum nemini dabo.* In se igitur, & in Lutheranismum resorbeat author Probat: Papatûs quod contra Idololatriam Catholicorũ evomuit, sibiq; occinat, quod initiô tractatûs de illa præfixit: *O cæcas hominum mentes! ó pectora cæca! quanta Idololatria in Papatu exercetur.* Certè ipse cæcus est, & dux cæcorum, qui inter Divinum & sanctorum cultum distinctionem, ac discrepantiam majorem, quàm inter cælum & terram, hactenus non videt, esto eam sole clariùs tot libris exhibeant Catholici Doctores, quidquid sit, quòd eum superiorem puro civili censeant ob justas, superiùs allatas rationes. Aut si videt (quod magis credo,

cum sit Doctor suorum, nec imperitus scriptorum nostrorum in contentiosa hac materia lector) viderit, quomodo pro tantis calumniis, & tot palmaribus mendaciis, quibus plures paginas Prob. Papatûs implevit, Deo olim, sanctisq; ejus respondebit. Corrasit ibidem diversas precatiunculas, quas Catholici ad sanctos fundunt. In his quædam vocabula, *Adorationis Divinæ*, *spei in sanctis repositæ*, *auxiliiq; ab ipsis exspectati*, Idololatriæ accusat, & acsi Pontificios hoc solo tanti criminis convicisset, triumphat. Quasi verò S. Scripturæ Doctor nesciret vocabula illa ad mentē Catholicorum interpretari; quídve illis vocibus intendant, quomodo sanctos adorent, quomodo spem in eorum orationibus reponant, auxiliumq; ab illis præstolentur, explicare. Adorant Catholici sanctos, sed adoratione, seu cultu Duliæ, & competente creaturis, civiliq; præstantiore, ob majorem illorum, utpote jam cum Deo in cælis regnantium Excellentiam, quàm dum adhuc in vivis essent. Spem in illis collocant, & auxilium ab iisdem præstolantur: non quasi ipsi per se aliquid nobis dare possint, sed per merita Christi precibus suis à Deo impetrare. Hinc enim orationem omnem ad sanctos fusam concludit Ecclesia his verbis: *Per Dominum nostrum Jesum Christum filium tuum &c.* Quod totum silentio præterivit D. Doctor. Sed quid? Impostores, & calumniatores non aliter faciunt, ut verborum cortice simplicibus fucum inducant. Frustra videlicet exclamationem illam initio capitis præfixisset, si precationes Catholicorum ibidem adscriptas, cultumq; sanctis exhiberi solitum interpretatus fuisset. Simillimus scarabæo, qui etiam ex rosis venenum haurit, ut sanis noceat. Verùm hæc tantummodo ex occasione. Non enim ex proposito contra authorem istum in arenam descendo, estò hinc indè ictum accipiat, sed contra Lutheranismum, sicut ipse contra Papatum, in sua probatione ejusdē egressus est.

Infer-

Infertur *26to.* Ergo sancti cum Deo regnantes in cælis, exorant Deum pro nobis. Quia Judex S. Scriptura enuntiat, etiam illos, qui ex hac mortali vita discesserant in veteri lege, esto necdum facie ad faciem Deum viderint, pro suis orâsse. Sic petit Propheta Baruch cap. 3. *ut Deus audiat orationem mortuorum Israël.* Et 2. Machab. cap. 15. v. 14. dicitur de mortuo pridem Jeremia: *Hic est qui multum orat pro populo, & universa sancta civitate Jeremias Propheta.* Et Apocal. cap. 5. Viginti quatuor seniores procidebant ante thronum Dei habentes phialas aureas plenas odoramentis, *quæ sunt orationes sanctorum.* Ergo offerunt orationes nostras Deo, & suas pro nobis.

Infertur *27mo.* Ergo sanctos licitè invocamus, ut pro nobis Deum orent. Quia Judex controversiarum sic fecisse S. Apostolum Paulum asserit, qui toties sanctorum adhuc in terris viventium orationes implorabat. Nimirum, 1. Thessal. cap. 5. v. 25. Et 2. Thessal. cap. 3. v. 1. Hebr. cap. 13. v. 18. &c. &c: Cur igitur etiam illos non invocemus, qui jam Deo sunt proximiores, ejusq; vultum facie ad faciem intuentur? Illi enim non minus noverunt necessitates nostras, quàm sciverint alii sancti adhuc in mortali vita existentes etiam absentia facta, necessitatesq; aliorum ex speciali revelatione Divina, ùt scivit Elisæus, ubinam fuerit Gieisi famulus ipsius, quídve cum Naaman Principe militiæ Regis Syriæ egerit, quæq; ab eo acceperit. 4. Reg. ca. 5. Item secretissima consilia Regis Syriæ 4. Reg. c 6. Ut scivit Ananias, quidnam cum Saulo ageretur Actor. cap. 9. Ut scivit Samuel longè dissitus de inventis jumentis Saulis 1. Reg. cap. 9. Ut scivit Petrus partem retenti pretii ab Anania, & Saphyra. Multò igitur magis nunc amicis suis, jam secum regnantibus ostendit, & revelat necessitates, & orationes suorum, ut pro ipsis suam Majestatem deprecentur.

Infertur *28vo.* Ergo invocatio ſanctorum non eſt præjudicioſa Mediationi Chriſti. Quia id Judex S. Scriptura nuſquam aſſerit. Eſto enim Apoſtolus doceat, Chriſtum eſſe Mediatorē inter Deum & homines, cúmq; pro nobis interpellare, tamen ipſe Apoſtolus non judicavit præjudicioſum eſſe Mediationi illius, dum ſanctos adhuc in terra viventes invocavit, ut pro ſe orent, & ſui apud Deum Mediatores per ſuas orationes eſſent: adeoq; nec ſanctorum cum Deo jam in cælis viventium mediatio inter nos, & Deum per orationes eorum, exiſtimanda eſt obeſſe mediationi Chriſti. Aſſumptum eſt Judicis controverſiarum, illatio legitima per ſubverſionem rationis, quam affert Lutheraniſmus contra invocationem ſanctorum, tanquam injurioſam mediationi Chriſti.

Infertur *29no.* Ergo Baptiſmus Joannis non habuit eandē vim, & efficaciam, quam habet Baptiſmus Chriſti, adeoq; non erat idem Sacramentum. Quia Judex controverſiarum id nullibi decernit. Nam eſto aſſerat, Joannem prædicâſſe Baptiſmum pœnitentiæ in remiſſionem peccatorum, atq; etiam baptisâſſe homines, non ſequitur vi ejuſdem baptiſmi remiſſa illis fuiſſe peccata; ſed vi pœnitentiæ, ad quam prædicatio, & baptiſmus eoſdem excitabat, ut remiſſionem peccatorum in nomine illius conſequerentur, in cujus nomine baptiſmum prædicabat. Nec evincit ratio D. Schelvigii in Probat: Papatûs allata, ex eo fuiſſe baptiſmum eundem, quia Chriſtus illo baptiſari voluit: alioquin etiam Chriſto debuiſſent remitti peccata, quæ tamen non habuit. Præterea: ubi non eſt eadem materia & forma, ibi non eſt eadem rei ſubſtantia cum eodem effectu. Atqui in baptiſmo Joannis non fuit eadem materia, & forma, quæ eſt in baptiſmo Chriſti: quia Joannes non conferebat baptiſmum ſuum in nomine Patris, & Filij, & Spiritûs S. Ergo non fuit idem Sacramen-

mentum quò ad substantiam, & effectum. Tum si fuisset idem, Paulus Apostolus fuisset Anabaptista. Quia illos Discipulos, quos Ephesi invenerat solo Ioannis Baptismo tinctos, iterum jussit baptizari, ùt habemus in Actis Apostolorum cap. 19. Cùm enim interrogasset, in quo baptizati essent? Et audisset, *in Ioannis baptismate*: Dixit: *Ioannes baptizavit Baptismo Pœnitentiæ populum, dicens, in eum, qui venturus esset post ipsum, ut crederent, hoc est in IESUM. His auditis baptizati sunt in nomine Domini IESU.* v. 4. & 5. Quod utiq; non permisisset, si Joannis Baptismus eandem vim, & efficaciam habuisset, quam habuit Baptismus Christi: Aliàs eundem Baptismum repetijsset, quod est Anabaptistarum. Unde hic evidentem differentiam utriusq; Baptismi Paulus ostendit, ùt annotat S. Augustinus lib. de Baptismo contra Donatistas cap. 10. cum aliis plurimis antiquissimis Doctoribus apud Adamum Burchaber Controv. 68 num. 35.

Infertur 30*mo*. Ergo Filius DEI non est æqualis Patri. Quia Judex S. Scriptura ipso Filio DEI fatente, enuntiat: *Pater major me est*. Joan. c. 14. v. 28. Nec licet Lutheranismo recurrere ad explicationem hujus sententiæ dicendo Patrem esse majorem Filio, spectato secundùm humanitatem, non autem secundùm Divinitatem. Hæc enim glossa, vel est Lutheranismi, vel Patrum, vel S. Scripturæ. Si est propria Lutheranismi, meritò illam non admittimus. Quia etiam ipse nostras in alijs materijs non acceptat: Neq; certi sumus Fide Divina, quòd non erret. Si est Patrum: Ergo jam præter S. Scripturam alium agnoscit, & recipit Controversiarum Judicem, cujus sententiam acceptat. Igitur non consequenter agit, dum Patrum consensum in explicatione similium controversarum sententiarum protervè rejicit, quem hic libens amplectitur. Si explicatio illa est S. Scripturæ, scilicet per aliam Scripturæ sententiam:

proferat Lutheranismus Scripturæ S. sententiam, quæ hanc alibi sic interpretatur, ut clarè, & perspicuè omnes intelligant, Filium esse minorem Patre secundùm humanitatem, æqualem secundùm Deitatem. Si illam affert: *Ego & Pater unum sumus.* Joan. 10. v. 30. Ex qua infert: Ergo Pater & Filius sunt æquales Deitate, quia sunt unum: Negabunt hanc consequentiam Ariani, & Sabelliani. Quærentq́ primò: unde hoc, quòd prior sententia per hanc sit explicanda? quæ Scriptura id docet? Ubi Judex decernit? Certè obmutescet Lutheranismus, nisi principium petat. Deinde huic sententiæ, quæ affertur ad interpretandam priorem, opponet aliam, in qua per ly *Unum*, significatur *Unitas* solùm moralis, non verò essentialis. V. G. ex lib. Actorum cap. 4. *Erat multitudinis credentium cor unum, & anima una.* Certè *Cor unum*, & *Anima una*, non essentialiter, sed moraliter. Ulteriusq́ inferent: Ergo adhuc Filius non est unum cum Patre in essentia, sed solùm moraliter, seu voluntatis concordiâ, juxta illud: *quæ placita ei sunt, facio semper.* Joan. 8. v. 29. Ergo illi non est æqualis Deitate. Idem respondere poterunt, si ex Epist. S. Pauli ad Philippens. c. 2. afferat: *Qui cùm in forma DEI esset, non rapinam arbitratus est, esse se æqualem DEo, sed semet ipsum exinanivit &c.* Æqualitas enim ista dicetur non esse essentialis, sed moralis duntaxat, & quò ad aliquid, cùm Christus ipse testetur: *Pater major me est.* Adeoq́ nec hæc sententia clarè, & indubitatè rem evincit. Quid ultra responsi habet Lutheranismus? Et quid si etiam Mennonistæ pro allata primo loco in explicationem sententia gratias agant, ex illáq́ concludant, Patrem & Filium esse unam, eandemq́ personam Divinam: quandoquidem Pater, & Filius unum sunt Scriptura Judice.

Infertur 3tiò Ergo Scriptura S. non continet omnia quæ

ad

ad Fidem, & vitam Christianam sunt necessaria, ùt voluit Dogma II. Quia id judex Scriptura nusquam tam clarè, & perspicuè decernit, ut à quolibet facilè hujus dogmatis veritas intelligi possit. Nec probatur, nisi Illationibus, & consequentijs ex quibusdam Scripturæ sententijs: quæ illationes, & argutiæ non sunt de Fide, estò nobis videantur esse veræ. Potest enim nexus Consequentis cum Antecedente fallere. Et quamvis non falleret, adhuc tamen est naturalis, & solùm naturæ lumine inventus: qui estò sufficiat ad scientiam, si habet requisita ad legitimitatem, non tamen ad Fidem Divinam: quia non est revelatus. Siquidem Fides soli Revelationi Divinæ innititur, seu DEo loquenti. Cum igitur DEUS nullibi nobis dicat in S. Scripturis, nexum Consequentis cum Antecedente esse infallibilem etiam divinitus; hinc nullum Consequens, quà tale, est de Fide; adeoq; nec Dogma Fidei hac ratione esse potest.

Infertur *32do.* Ergo sinè consensu libero voluntatis non committitur peccatum formale æterna damnatione dignum, ùt asserit Dogma III. Hoc enim nusquam clarè, & perspicuè Judex Scriptura S. decernit. Ubi enim? Illationes, & Consequentiæ, ex quibusdam sententijs ejusdem à Lutheranismo formatæ non sunt claræ Scripturæ. Et de his ipsis Judicem appellabimus, an sint legitimæ. V. G. ex illa Psal. 19. v. 13. sententia: *Delicta quis intelligit? ab occultis meis munda me*, infert Lutheranismus: *ergo sinè consensu voluntatis perpetrantur peccata formalia*. Cùm verò neget dari venialia ex se, infert ulteriùs, sic perpetrata *esse morte æterna digna*. Sic D. Schelvigius in Probat. Papatûs cap. 5. Quis vel unius mensis Dialecticus audeat hanc Consequentiam formare? Nunquid quia Vates quærit, quisnam delicta intelligit? legitimè sequitur, *Sinè consensu voluntatis perpetrari peccata.* Aut quia petit ab occultis mundari, ideo sequitur, sinè

libero consensu nostro perpetrari peccata æterna damnatione digna? Vel quia in Lege Moysis etiã purificabantur, qui ignoranter peccaverant, ideo Lutheranismi Dogma esse de fide Divina? An Lutheranismus non novit, in lege fuisse peccata ceremonialia, quæ non animam contaminabant, sed solùm à sacris arcebant, quoad usq; contaminatus secundùm legis ritum purificaretur. Sicut etiam modò sunt aliqua in Ecclesia Catholica, quæ sinè voluntatis consensu incurri possunt, & incurruntur; qualia sunt plures Irregularitates, quæ non sunt peccata morte æterna digna, sed tantùm impedimenta à sacris. Unde malè infert Lutheranismus ex illis Ceremonialibus, & Legalibus peccatis, quæ purificatione egebant, estò ignoranter committerentur, perpetrari peccata æterna damnatione digna, absq; libero consensu voluntatis. Malè etiam ex eo, quod ait Vates. Nam quòd delicta intelligat, non sequitur, committi peccata æterna morte digna sinè nostro libero consensu. Intelligentia enim hæc non significat illam cognitionem mali, quæ præcedit voluntatis consensum ante peccatum actuale, ùt pessimè supponit D. Schelvigius: sed significat intelligentiã ipsius malitiæ delictorum, quam nemo etiam voluntariè peccans satis intelligit. Deinde Hebræus legit: *Ignorantias quis intelligit*? Quasi diceret: difficilè est cavere peccata, quæ ex ignorantia contra Legem Ceremonialem committuntur. At etiam ex eo, quòd ab occultis petat à DEo mundari, non sequitur intentum Lutheranismi. Habuit enim præter publica, adulterij, homicidij, atq; superbiæ in populi numeratione commissæ, etiam alia occulta peccata. Unde quia de illis publicis ipsi constabat, jam sibi esse remissa, de his verò non item, hinc rectè orat: *ab occultis meis munda me.* Quod nihil conducit Dogmati Lutheranismi. Et sanè mirum est, quòd Lutheranismus ad demonstrandam Dogmatum

tum suorum veritatem ad vetus Testamentum recurrat, & nominatim in probanda malitia peccati, etiam non voluntariè, sed ignoranter contra legem commissi, cùm ipse nihil pejùs quàm legem oderit. Quid enim lex antiqua, præsertim Judicialis, & Ceremonialis, connexionis habet cum nova in ordine ad incurrenda peccata non voluntaria, & quorum legem ignoramus? Nunquid lex & Prophetæ tantùm usq; ad Joannẽ.

Infertur *33tio.* Ergo falsum est, non dari peccata ex se venialia, sed omnia ex natura sua esse mortalia, & æterna damnatione digna, ùt vult Dogma IV. Scriptura enim Judex nusquam hanc sententiam pronuntiavit. Argutationes quas Lutheranismus ex quibusdam S. Scripturæ locis ad id svadendũ affert, non subsistunt. Nam Dogma Fidei, quale est præsens, clarè & perspicuè in S. Scripturis oportet contineri, juxta Dogma I. & non per sequelas duntaxat deduci. Nam deductio unius ex alio non est Divina, sed Philosophica Revelatio, cui Apostolus non vult adhiberi fidem ad Colossens. 2. v. 8. Frustra D. Schelvigius ad Dogmatis istius demonstrationem adducit ex Deuter. Cap. 27. v. 26. *Maledictus qui non permanet in sermonibus legis hujus, nec eos opere perficit.* Quasi maledictio illa incurratur ob quodvis etiam minimum peccatum. Quidquid enim sit, utrùm quodlibet legis præceptum obligaverit sub peccato maledictione Divina digno, an nescit D. Schelvigius quod Christus ait: *Lex & Prophetæ usq; ad Joannem.* An non legit Doctor S. Scripturæ: *Christus nos redemit de maledicto legis, factus pro nobis maledictum,* ad Galat. c. 3. v. 13. Ad quid igitur ipse ea, quæ veteris legis erant, Christianis imponit, à quibus nos Christus liberos fecit, sola morali lege duabus tabulis contenta obligatos. An non legit in eadem Epistola paulò inferius: *Testificor autem rursus omni homini circumcidenti se, quoniam debitor est*

universæ legis faciendæ. Cap. 5. v. 3. per quæ utique ſatis clarè ſignificat, non ſubjacere univerſæ legis maledicto eos, qui non circumciduntur: *Cum in Chriſto Jeſu neque circumciſio aliquid valeat, neq; præputium, ſed fides, quæ per charitatem operatur* Ibid. v.6. Quæ Charitas utique conſiſtit in duabus tabulis legis digito Dei ſcriptæ: & in ijs, quæ Chriſtus ſive per ſe, ſive per Apoſtolos ſuos præcepit. Ubi autem ſcriptum eſt, omnia eſſe mortalia peccata, quæcunque etiam ſinè conſenſu voluntatis, atque ignoranter contra illa committuntur, adeoque æterna damnatione ex ſe digna ?

Infertur 34. Ergo ruit Dogma V. aſſerens, converſionem peccatoris ità ſolius Dei gratiæ opus eſſe, ut homo nullatenus in illa Deo cooperetur. Quia iudex controverſiarum S. Scriptura nuſquam illud definivit. Quod enim enuntiet: *Nos gratiâ Dei ſalvari per fidem , & hoc non ex nobis, non ex operibus, ne quis glorietur* ad Ephes, c. 2. Sanè ex hoc antecedente nec ipſe Philoſophorum Princeps Ariſtoteles, ſi de Lutheraniſmi Peripatho eſſet, præſens Dogma inferret. Quis enim noſtrûm dicit, nos ex nobis ſalvari, aut ex operibus noſtris, & non ex gratia Dei? ſi ità perſuaſus eſt Lutheraniſmus de nobis, profectò peſſimè perſuaſus eſt, & contra ſuam conſcientiam; cùm tot ſcripta oppoſitum clament. Quòd enim dicamus cum Paulo: *Non ego ſed gratia Dei mecum*: nunquid excluſâ gratiâ, ex nobis, aut ex operibus noſtris, nos ſalvari contendimus, & non potiùs ex gratiâ Dei, nobis etiam aliquid, ſaltem libero conſenſu, & executione præceptorum Dei cooperantibus ? At eſtò legitimè inferretur ex allata ſententia Dogma Lutheraniſmi, adhuc non eſſet fide Divina certum: quia ſolùm in naturali connexione cum antecedente fundatum, qualis fidei Divinæ non ſufficit, quam ſola Dei revelatio ſuſtentat. Nam etiam inter Catholi-

tholicos Theologos universos nondum conclusum est, utrùm illatio, seu consequens, etiam ex utraq; præmissa revelata, sumptum formaliter, sit de fide: multò minus ex una revelata, & altera naturaliter evidente. In quo estò convenirent, hic ipse consensus defactò non esset de fide; quia in S. Scriptura non est revelatus, nec Traditione Ecclesiæ confirmatus. Unde Lutheranismo incumbit, priùs ex S. Scriptura ostendere, suas argutias, illationes, immò & consequens legitimum juxta figuram, & modum Aristotelis, esse de fide. Aliàs non solùm præsens, sed & reliqua omnia Dogmata ruunt, quæ non clarè, & perspicuè in S. Scripturis sunt contenta, sed tantùm ex illis deducuntur, & per consequentias inferuntur.

Infertur 35. Ergo vanum est, & frivolum solatium Dogmate VI. expressum: *Nullum fidelem de sua Electione ad salutem æternam dubium esse posse, aut debere.* Ut enim sit solidum, ac verum, fideque Divina credibile, oportet illud esse Judicis controversiarum, clarum, atque perspicuum effatum: quod tamen in Scripturis S. nusquam legitur. Ex illo enim Roman. 8. v. 1. *Nihil nunc damnationis est ijs, qui sunt in Christo Jesu,* non infertur legitimè hoc consequens: *Ergo nullus fidelis de sua electione ad salutem dubitare potest, aut debet.* Quia Lutheranismus pro more suo truncavit, & mutilavit sententiam Judicis ad decipiendos simplices, & illiteratos. Addat igitur quod fraudulenter subtraxit, nimirum: *qui non secundùm carnem ambulant*; & sic ex integra sententia inferat Dogma, quod prædicat, si potest. Videatque author Probæ Papatûs, qui ex ità truncata præfata sententia plausibiliter præfixum Dogma in libro suo proposuit, utrùm non sit fallax suorum Sophista, dum ex restricto, & fraudulenter mutilato S. Scripturæ antecedente universalem infert conclusionem, in periculosissimum, atque deterrimum solatium omnium

nium Fidelium. Videat, utrum non committat Elenchum, à dicto ſecundùm quid, ad eſſe ſimpliciter argumentando. An non ex ipſius concluſione ſequatur, etiam illos, *qui ſecundùm carnem ambulant*, nihil damnationis habere. Cùm tamen Apoſtolus illis ſolùm, *qui ſunt in Chriſto JEſu*, nihil damnationis eſſe affirmet, qui ſoli, non ſecundùm carnem ambulant. Jam verò, quot fideles ſecundùm carnem ambulant? Contra quos ipſi Prædicantes Lutherani in ſuis Concionibus, & ſcriptis debacchantur. Fateatur ergo Lutheraniſmus poſſe multos fideles, eos ſcilicet, qui ſecundùm carnem ambulant, quales ſunt perjuri, homicidæ, adulteri, fures, falſi teſtes, alienorum raptores &c. de electione ſua ad ſalutem dubios eſſe poſſe, immò debere, quamdiu tales eſſe perſeverant, juxta Judicis effatum. *Neque homicidæ, neque adulteri, neque fures &c. Regnum Dei poſſidebunt.* Det Lutheraniſmus parem S. Scripturæ ſententiam. Si affert: *Qui crediderit, & baptiſatus fuerit, ſalvus erit &c.* Marci ultimo. Sed fideles, etiam qui ſecundùm carnem ambulant, credunt, baptiſatiq; ſunt, ergo ſalvi erunt: ergo de electione ſua ad ſalutem non poſſunt dubitare. En rurſus excellens Sophiſma: in quo univerſalis concluſio deducitur ex ſententia Judicis, omninò reſtrictè intelligenda. Nimirum, qui crediderit fide viva, id eſt, *quæ per Charitatem operatur*, ut Paulus ait, hic ſalvus erit. Quæ ipſa explicatio oſtenditur ex illo Chriſti effato: *Euntes docete omnes gentes, baptiſantes eos in Nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti, docentes eos ſervare omnia, quæcunq; mandavi vobis.* Matth. ult. Quæ, cùm non omnes fideles ſervent, meritò qui ea non ſervant, dubitare poſſunt, an ſint de numero electorum. Et profectò non ſervant perjuri, rapaces, homicidæ, adulteri, & quicunque contra primæ, ac ſecundæ tabulæ Præcepta agunt. Nec habent fidem, quæ per Charitatem operatur. *Charitas enim Dei in hoc eſt,*

ut

ut servemus mandata ejus, pronuntiante Judice. 1. Joan. cap. 5. v. 3. Deinde: Minor allati argumenti dubia est apud Lutheranismnm; qui communiter docet, peccatores non habere fidem, sed eam per quodcunq; peccatum amittere. Tandem non est evidens etiam naturaliter. Igitur consequens illatum, non subsistit: adeoq; non potest esse Dogma fidei, præsertim cùm non sit revelatum à Deo etiam implicitè.

Infertur *36to.* Ergo Lex scripta non est perfecta, seu adæquata regula omnium bonorum operum, ut contendit Dogma VII. Quia id nusquam Judex definit. Quòd enim pronuntiet: *Deum misisse Filium suum &c. ut justificatio legis impleretur in nobis, qui non secundùm carnem ambulamus.* Roman. c. 8. v. 4. Ex eo nullus Dialecticus clarè, & legitimè inferet: Ergo Lex est perfecta Regula omnium bonorum operum. Quid enim hæc habent cum impletione Justificationis Legalis.

Infertur *37mo.* Ergo Justificatio formaliter sumpta, non in eo consistit, quòd nobis Deus peccata condonet, & Christi justitiam imputet, ùt Dogma VIII. definit. Quia Judex controversiarum S. Scriptura, núsquam justificationem formalem hoc modo definit: quidquid sit, quòd justificationem activam, quò ad primam partem, sic indicet; & phrasi *Non imputationis*, utatur.

Infertur *38vo.* Ergo non per solam Fidem justificamur. Quia hoc Dogma præcipuè controversum, nusquam Judex claris, & perspicuis verbis sic definit: Sed ly *Sola*, vel ex Lutheri versione affertur, qui contendit, eam mentem, & sensum Apostoli fuisse, ùt illo cap. 3. ad Roman. doceret: *Nos sola fide justificari*, cujus opinioni nemo tenetur credere. Vel dicitur per evidentem consequentiam ex antecedentibus Apostoli propositionibus inferri, quæ tamen neque nobis, neque antiquis Patribus

eſt evidens. Quare nobis neutrum in Lutheraniſmi principijs ſufficit. Dogma enim fidei conſtare oportet revelatione Divina, cui innitatur, & quidem clarâ, atque perſpicuâ, ùt vult Lutheraniſmi Dogma I. quæ hic de ly *Sola*, non habetur. Ubi enim S. Scriptura teſtatur eam mentem Pauli fuiſſe, ùt Lutherus, ejuſq; aſſeclæ ajunt? Potiùs enim conſtat, mentem ipſius toto illo capite fuiſſe, ut doceret, non juſtificari nos per opera veteris legis, quod clariſſimè ibidem inculcat. Deinde ubi S. Scriptura teſtatur, nexum conſequentis, ſeu illati Dogmatis, cum antecedente Apoſtoli, eſſe infallibilem, ac revelatum à Deo? quod ad articulum fidei requiritur.

Infertur *39no.* Ergo nullus juſtificatus (ſeu ùt alij, Fidelis) citra ſpecialem Dei revelationem ſcire poteſt certitudine Fidei, ſe eſſe in ſtatu gratiæ, nec ullus ea certitudine de remiſſione peccatorum ſuorum certus eſſe poteſt, aut debet, ſub pœna æternæ damnationis. Quia Judex controverſiarum nuſquam infallibilem hanc certitudinem Fidelibus definivit. Res tamen tanti momenti, atque ſolatij, clarè, & perſpicuè definienda erat, nè Fideles errent, ac decipiantur. Quod enim Judex enuntiet: *Nos ſcire, quòd ex Deo ſimus* 1. Joan. c. 5. v. 19. *Quòd propter fidem in Filium Dei, teſtimonium Dei in nobis habeamus: quòd nos Deus ſignaverit, & dederit pignus Spiritûs in cordibus noſtris* 2. Corinth. 1. v. 21. *Quòd credentes ſignati ſimus ſpiritu promiſſionis ſancto, qui eſt pignus hæreditatis noſtræ in redemptionem acquiſitionis*. Ephes. 1. v. 14. nullatenus evincit, quod Dogma illato contrarium aſſerit. Nec ex ulla allata ſententia, ſive ſpeciatim, ſive cum alijs ſumpta, legitimè inferri poteſt, quocunq; Ariſtotele Judice. Eſtò enim ex his conjecturalem quandam certitudinem, teſte bona conſcientia habere poſſimus, minimè tamen talem, quæ ad Dogma, & articulum Fidei, ſub interminatione pœnæ damnatio-

nis

nis æternæ, credendum sufficiat. Hæc enim sola revelatio Divina, & quidem Lutheranismo clara, & perspicua esse debet, quam hactenus in Scripturis S. non reperit. Ratio est: Quia Deus vult spem nostram esse mixtam formidine, nosque solicitos, ac suspensos tenere, ne securitate torpescamus, sed cum metu, & tremore, vigilanter, ac studiosè nostram salutem operemur. At gratis etiam concesso, legitimè inferri, quod volunt adversarij: quis nos de legitimitate connexionis illati cum antecedente, sufficientis ad articulum Fidei, certos reddet? Ubi enim S. Scriptura asserit, ex præfatis S. Scripturæ sententijs, legitimè & sufficienter ad articulum fidei inferri: *Ergo omnis justificatus, seu fidelis, citra specialem Dei revelationem certus esse potest fide Divina, se esse in statu gratiæ, atq; remissa sibi esse peccata: immò sic certum esse oportet sub pœna æternæ damnationis.*

Infertur *40mo.* Ergo non subsistit Dogma XVII. Bona opera non esse necessaria ad salutem (intelligo supernaturalia, & justificato adulto, post justificationem diutiùs superviventi. Sic enim Lutheranismus intelligere debet, nè naturalia opera, vel infantes, aut statim ab accepto Baptismo morientes in arenam producat) Ratio illati est: Quia Judex controversiarum nusquã oppositum clarè, & perspicuè decidit, ùt juxta I. Dogma teneatur. Ubi enim? Afferatur vel unica sententia, quæ bona opera, ùt non necessaria ad salutem excludat. Quæcunq; enim affere-tur, non Christiana supernaturalia bona opera, sed vel purè naturalia, vel antiquæ legis opera concernit. Afferatur vel unicus S. Scripturæ textus, qui excluso omni discursu, & illatione, Christianos sola Fide, exclusis bonis operibus, salvari asserat. Quos enim Lutheranismus affert partim ex Epist. ad Rom. c. 4. v. 6. ubi *Deus dicitur beatitudinem homini, & justitiam accepto ferre sine operibus:* partim ex Epist. ad Ephes. c. 2. v. 8. ubi dicitur: *Nos*

gratiâ salvos esse factos, per Fidem, & hoc non ex nobis, Dei enim donum est, non ex operibus, ne quis glorietur: His præter veram interpretationem de operibus naturalibus, & veteris legis, opponimus tot sententias, quot jam superiùs attuli Dogmate. XVII. aliàs è Scripturis S. eliminandas, si Dogma subsisteret. Illud, *qui crediderit, salvus erit*, explanatum est, Matth. ultimo v. 20: *docentes eos servare omnia, quæcunq; mandavi vobis. Si hæc scitis, beati eritis, si feceritis ea.* Joan. 13. v. 17. Ergo Judex decernit, bona opera esse necessaria ad beatitudinem æternam.

Infertur *4imo.* Ergo ruit Dogma XVIII. negans bona opera justorum esse meritoria vitæ æternæ (intellige supernaturalia) Judex enim Scriptura S. nusquam claré, & perspicuè hunc Fidei Lutheranæ articulum definit. Neque ex ulla ejus sententia legitimè argui potest. Neq; si connaturaliter inferri posse videatur, illatio infallibile Fidei Dogma esset, ob defectum probationis legitimæ connexionis cum antecedente revelato, ex quo infertur: quam ex Scriptura S. ostendi oportet, non ex præceptis Philosophicis. Quòd enim Judex decernat, *ut, postquam fecerimus, quæ nobis præcepta sunt, nos inutiles servos dicamus, quia fecimus, quod debuimus.* Luc. 17. v. 10. Sanè hac sententia minimè decernit, nos nihil mereri. Esto enim operibus nostris inutiles simus Deo, non sumus tamen inutiles nobismet ipsis. Quanquam etiam Deo, saltèm ad extra, bonis operibus nostris utiles sumus. Per illa enim glorificatur, ùt Christus asserit Matth. 5. v. 16. Patet id ipsum in illis tribus servis, quibus Dominus distribuerat bona sua Matth. 25. Duo enim priores non tantùm sibi, sed & Domino utiles fuerunt, dum traditis sibi Talentis, totidem alia labore, atq; industriâ suâ lucrati sunt. Unde non solùm à Domino laudantur, verùm etiam intuitu lucri, laborisq; impensi, præmiantur ingressu, & admissione in gaudium Domi-

Domini sui. Tertius verò, estò Talentum sibi traditum non prodegerit, tamen quia illud piger servavit otiosum, tanquam inutilis, non tantùm acriter à Domino reprehenditur, sed etiam Talento privatur; immò & condemnatur: *Inutilem servum ejicite in tenebras exteriores, illic erit fletus, & stridor dentium.* Ac nè effugium per extortam interpretationem pateat, continuò Christus illi parabolæ adventum suum, tanquam genuinam interpretationem applicuit. Idem se scilicet facturum ostendens in extremo Judicij die cum bene operantibus, & bona opera negligentibus, ùt legenti patet. Tum quia bona opera etiam in Lutheranismo sunt utilia saltèm præsentialiter, ad vitam æternam consequendam, cùm omni arbori non ferenti bonos fructus, excisionem, & projectionem in ignem minetur Divina veritas. Quòd si operibus nostris etiam nobis inutiles servi sumus, certè non erunt utilia Lutheranismo titulo præsentiæ, nec aliis titulis suprà ex mente ejusdem allatis. Tum quia Denarium, pro quo nos conduxit Paterfamilias Deus Ter optimus maximus operarios in Vinea, seu Ecclesia sua, peracto diurno vitæ Christianæ labore, non ùt donum merè gratuitum dare, sed ut mercedem promeritam, & expleto à nobis contractu oneroso titulo justitiæ debitam, exsolvere jubet: *Redde illis mercedem,* Matth. 20. De hac enim cum operarijs convenit, dum illos in Vineam conducit, faciens cum illis contractum, ut pro laboribus, & opera impensa, mercedem, ac præmium exspectent, quo se in pondere diei, & æstu, sudoribusq; solentur: *Conventione facta cum operarijs, misit eos in Vineam suam. Matth.* 20. Hinc recipienti mercedem inquit: *accipe, quod tuum est*: scilicet *Tuum,* quia illud meruisti, dum de illo conventione tecum facta, contractum per impensos labores adimplêsti. Tum quia ex præfata sententia non infertur Lutheranismi Dogma. Et estò videatur

inferri, tamen illatum non conſtituet articulum Fidei: quia nobis de nexu illius cum ſententia S. Scripturæ non conſtat ex Scripturis. Sunt enim plura ſimilia, quæ videntur legitimè, ex Judicis quibuſdam ſententijs inferri, & tamen falſiſſima, & hæretica ſunt. v.g. *Unus eſt nobis DEus Pater* 1. Corinth. cap. 8. v. 4. Sed Filius non eſt Pater; ergo Filius non eſt Deus. Item. Qui major eſt Filio, illi Filius non eſt æqualis, ſed Pater major eſt Filio, ùt ipſe Filius teſtatur Joann. c. 14. v. 28. Ergo Filius Patri non eſt æqualis. Argumenta ſunt quò ad ſpeciem bona; quia in forma, ùt videtur, Ariſtotelica: & tamen concluſiones, & illationes habent falſiſſimas, etiam juxta Lutheraniſmi Dogmata. Unde in rebus Fidei, parum ſimilibus illationibus fidendum, nè ſimiliter erremus.

Infertur *42do.* Ergo non ſubſiſtit Dogma Lutheraniſmi, aſſerens: Poſt acceptam remiſſionem peccatorum, defactò ordinariè nullam juſtificato reſtare pœnam temporalem, nec ulla ſatisfactione in hunc finem opus eſſe. Judex enim controverſiarum id nuſquam decernit. Quæ pro illo affert Lutheraniſmus valde debilia ſunt: *Propter ſcelera noſtra attritum eſſe Chriſtum, paciſq; noſtræ diſciplinam ſuper eum, atq; livore ipſius nos ſanatos*, credimus. Atqui hìc nihil de pœna etiam temporali ſublata. Hæc enim de culpæ reatu intelligenda. Aliàs non ſubſiſteret, quod S. Paulus ait ad Hebr. c. 12. v. 6. *Quem diligit Dominus, caſtigat. Flagellat autem omnem filium, quem recipit.* Quem verò recipit, niſi peccatorem juſtificatum? Hunc ex non filio, facit filium, & flagellat, in ſatisfactionem etiam pro pœna, quam ob culpam meruerat. Et defactò remiſſum eſt nobis peccatum Originale in juſtificatione prima quò ad culpam, non tamen quò ad pœnam adæquatam. Adhuc enim in ſudore vultûs pane veſcimur; adhuc terra ſpinas & tribulos germinat: adhuc in pulverem mor-

morte corporis convertimur: adhuc mulieres in doloribus filios pariunt: quæ omnes pœnæ, ob Originalem culpam sunt inflictæ, estò jam Christi sangvine deletam. Præterea, nisi aliqua satisfactio defactò sit necessaria, ùt quid Præcursor Domini Joannes clamat: *Facite ergò fructus* dignos pœnitentiæ Luc. 3. v. 8. Si enim Deus ordinariè etiam pœnæ reatum adæquatè remittit, nullos speciales fructus pœnitentiæ necesse erit facere, quidquid sit de alijs. Neq; illud à satisfactione pro reatu pœnæ eximit: *Si impius egerit pœnitentiam &c: omnium iniquitatum ejus non recordabor.* Ezech. c. 18. Hæc enim intelligenda vel de remissione per contritionem omni ex parte perfectam, vi cujus & culpæ, & pœnæ reatus plenè à Deo remittitur: vel de oblivione iniquitatum quò ad culpam solùm. Aliàs non subsisteret doctrina Pauli: *flagellat omnem filium, quem recipit.* Nec Eleemosyna haberet vim delendi peccata, eaq; mundandi (intellige quò ad satisfactionem pro pœna temporali: Non enim habet vim satisfaciendi pro culpa mortali) & tamen Daniel Propheta suadet Nabuchonosori: Peccata tua Eleemosynis redime, & iniquitates tuas Misericordiis pauperum. Cap. 4. v. 24. Et Christus ipse: *Date eleemosynam, & ecce omnia munda sunt vobis.* Luc. 11. v. 41. Nisi hæc ruant, Lutheranismus subsistere non potest nisi suo cerebro.

Infertur *43tio.* Ergo falsum est, nullum votum placere Deo, nisi sit de ea re, quam ipse præcepit, ùt vult Dogma XIX. Quia Judex controversiarum nullibi clarè, & perspicuè, immò neq; implicitè hoc Dogma definivit. Et verò, cur non placeat Deo voluntaria paupertas, vitæ castimonia, obedientia spontanea Prælato, cui se quispiam libere subjecit? An ista non sunt ad imitationem Filij DEI? qui paupertatem, estò ditissimus esset, adeò coluit, ut non haberet in terra, ubi caput reclinaret.

Matth.

Matth. 8. v. 20. Qui in castimonia adeò excelluit, ut etiam infensissimi hostes aliquid contra ejus intaminatam honestatem confingere veriti fuerint, ne continuò falsitatis redarguerentur. Qui obedientiæ adeò studuit, ut non solùm Patri æterno in cœlis, verùm & putatitio in terris, Matriq; Virgini obediens fuerit, ac subditus, attestante S. Luca cap. 2. Proferatur clara judicis sententia, qua demonstretur displicere Deo has virtutes voto firmatas. Si enim ipsi sine voto placent, cur non placeant, si quis voto, ac promissione ad illas exercendas illi se obliget? Nunquid frustra Salvator noster ad perfectionem hortando dixit: *Si vis perfectus esse, vade vende omnia, quæ habes, & da pauperibus, & habebis thesaurum in cœlo: & veni sequere me.* Matth. c. 19. Nunquid frustra ait: *Sunt Eunuchi, qui se ipsos castraverunt propter Regnum Cœlorum.* Ibid. v. 12. Nunquid frustra: *Si quis vult post me venire, abneget semet ipsum, & tollat crucem suam, & sequatur me.* Matth. c. 16. v. 25. Quid in prima sententia, nisi voluntaria paupertas? quid in altera, nisi voluntaria continentia? quid in tertia, nisi abnegatio propriæ voluntatis per obedientiam, clariùs elucescit? Ubi estò votorum mentionem non fecerit Christus, horum tamen alibi habemus sufficiens in Scripturis S. fundamentum, ùt retuli Dogmate XIX. Et saltèm illud, cui innititur Lutheranismus, alia quædam vota suis suadens, quæ ibidem Illato 3. & 5. enumeravi.

Conatur author Prob. Papatûs Religiosa atq; alia Vota nostra evertere Apostoli sententiâ ad Galat. c. 5. v. 1. *State, & nolite iterum jugo servitutis contineri.* Sed primò, inadvertenter etiam evertit illa, quæ ipse probat, & suis suadet. Deinde: quamvis centum milliones boum, & unà totidem præstantissimorũ Philosophorum ingenia suo consequenti jungeret, legitimam consequentiam contra vota nostra ex hac sententia non extrahet.

het. Quæ tamen petulanter traducit, & adeò sibi de victoria plaudit, quasi præfatâ sententiâ ex fundamento omnia nostra vota evertisset: cùm vix aliquid ineptiùs, atq; falsiùs dici possit, quàm Apostolum eo loco de votis sermonem facere, quæ jugum servitutis appellet. Manifestè enim Apostolus illis verbis antiquam Moysis legem indigitat, quam jugum servitutis nuncupat, à quo nos Christus liberavit, ùt ex ultimo versu cap. 4. & initio capitis 5. ejusdem Epistolæ sole clariùs, absque ulla interpretatione, aut discursu patet. Et in particulari Galatas à Circumcisione vult continere, per quam eos, qui se circumcidunt, veteri legi docet subjici, ùt ex cap. 5. v. 3. constat: *Testificor autem homini circumcidenti se, quoniam debitor est universæ legis faciendæ.* Quomodo ergo ex his Dogma Lutheranismi sequitur? Ergo *Vota paupertatis, castitatis, obedientiæ &c: displicent Deo.* Ecce quàm præclarè hic Doctor demonstrat, vota de re non præcepta, Deo non placere! quando id votis affingit, quod legi veteri Apostolus adscripsit. En quàm excellenter insperatas novit formare consequentias: Lex antiqua est jugum servitutis, cujus debitor est, qui se in carne sua circumcidit: Ergo Votum paupertatis, castitatis, & obedientiæ, est jugum servitutis, & libertati contrarium, consequenter Deo minimè placet. *Quia nos illis verbis aliud Apostolus docet, quàm Pontificij de votis afferunt.* sic ille pag. 467. ad finem, lib. cit. Sinè dubio aliud, & toto cœlo diversum. Nunquam enim somniaverunt, posse ex allatis Apostoli verbis talem formari consequentiam, qualem ipse deduxit. At pleræq; ejusdem authoris consequentiæ, & illationes huic sunt pares in lib. cit. Scripturæ S. quas ad probanda sua, & reprobanda Catholica Dogmata adducit, passim nihil minùs, quàm intentum ejus probant. Errores Ecclesiæ Catholicæ oggerit, quos non demonstrat, aliquos affingit, quos ipse cum

ſuis commentus eſt: Privatorum quorundam opiniones toti Eccleſiæ affricat, quas ipſa non probat. Et tamen ſibi applaudit, quaſi ultra centum errores Papiſtarum detexiſſet, atq; oppoſitas veritates Lutheraniſmi demonſtrâſſet: acſi dicere, idem ſit, quod demonſtrâſſe. Teſtor illos, qui eam Probationem Papatûs conſideratè, abſq; paſſionis affectu legerunt, aut legent, an vel unicum Dogma controverſum ità ex S. Scriptura probet, ut clarè, & perſpicuè omnibus pateat, id verum eſſe, quod ipſe aſſerit, aut falſum, quod ipſe negat. Atq; ne adhuc præſentem materiam deſeram, ad firmandum Lutheraniſmi Dogma, & ſubruendum oppoſitum, affert ex Matth. cap. 15. v. 13. effatum Chriſti: *Omnis plantatio, quam non plantavit Pater meus cœleſtis, eradicabitur.* Quo poſito pæana canit: *Si hìc locus non concernit Monachos, oſtendant alium ex S. Scriptura, quo poſſint demonſtrare, ſe à Patre cœleſti, & non purè ab hominibus, plantatos eſſe.* Quàm ſolidè! an ſtolidè! quis non advertit? Si quando, jam certè legisperitum, ac juris ſe demonſtrat. Nimirum cùm ipſe ſit actor contra vota, Religioſumque ſtatum, qui tot ſæculis (nempe ùt ipſe refert, à tertio ſæculo poſt Chriſti Nativitatem) in pacifica poſſeſſione, poſtea verò cum approbatione totius Eccleſiæ tam Latinæ, quàm Græcæ, jurium ſuorum perſtitit: utiq; actori probare incumbit, Statum Religioſum non eſſe à Deo plantatum. Cùm autem ipſe in probando deficiat, accuſato onus probandi imponit, ut ſcilicet ipſe Religioſus ſtatus oſtendat, ſe à Deo plantatum. Accuſator, Calumniator probet. Quod ſi ex regula ſua, aut effato Judicis controverſiarum præſtare non poteſt, reſorbeat, quod evomuit. Verùm plantationem hanc à Deo eſſe, ſufficienter liquet ex ijs, quæ & hìc, & alibi de votis retuli. Interim ego ſimili methodo contra Lutheraniſmum argumentor: ignoſces ſi non ad guſtum, quia in forma Lutherani Doctoris.

Om-

Omnis plantatio, quam non plantavit Pater meus cœlestis, eradicabitur. Sed hoc Christus dixit de Lutheranismo: Ergo Lutheranismus eradicabitur: Ergo Deo non placet. Major Syllogismi est ipsius Divinæ Veritatis. Minorem præfati Doctoris stylo probo: Si hoc Christus non de Lutheranismo dixit, ostendat ex Scriptura S. locum, quo demonstret, se à Deo Patre esse plantatum, & non potiùs à carnalibus hominibus Luthero, Melanchtone &c: transfugis, qui suos asseclas ex Paradiso veræ Ecclesiæ Christi, in alium agrum, veris virtutibus Evangelicis, & Christianis destitutum, transplantârunt. Ubi enim S. Scriptura asserit, *Lutherani sunt plantæ à Deo plantatæ?* Quod quamdiu Lutheranismus clarè non demonstrat, tamdiu in forma ejus Doctoris de ipso dicitur: Omnis plantatio, quam non plantavit Pater meus cœlestis, eradicabitur.

Ubi adhuc breviter noto: falli, & fallere D. Schelvigium, asserentem cap. 26. lib. cit. Statum Religiosum, (seu ut ipse loquitur Monachalem:) à Paulo Eremita dùxisse initium in tertio sæculo. Nec ipsum juvat S. Hieronymus, cujus testimonium fortasse ideò Latino idiomate refert, ne simplices dolum falsi Doctoris sui advertant. S. Hieronymus enim non tanquam omnino certum, sed ùt opinionem vulgi rèfert. Nam ibidem aliorũ quoq; sensum hac de re manifestat, unde statum Religiosum originem duxisse àutument. Cùm verò ad Antonium pervenit, qui juxta vulgi sententiam talis vitæ putatur fuisse caput, ait, *id ex parte verum esse: Non enim tam ipse ante omnes fuit, quàm ab eo omnium invitata esse studia.* Unde concludit, hanc sententiam, *se non tam nomine quàm opinione comprobare.* Quid autem hæc D. Schelvigium, & Lutheranismum juvant? An non satis est, etiam hanc originem Status Religiosi à tertio sæculo Christianismi ostendisse. Quo tempore Ecclesia Catholica etiam judicio, atque

confeſſione Patris Lutheraniſmi immunis ab erroribus, & abuſibus fuit. Quanquam altiora vitæ hujus initia habemus, quæ refert S. Dionyſius Areopagita lib. de Eccles. Hierarchia cap. 10. qui S. Apoſtoli Pauli Diſcipulus erat, ùt ex Actis Apoſt. conſtat. Et Philo Hebræus in libro: *Quòd omnis probus liber*: & in alijs ſuis opuſculis; qui vixit circa annum Chriſti 50. Ubi teſtatur, plurimos ſub diſciplina S. Marci Evangeliſtæ vixiſſe. In Palæſtina verò, & Syria circiter quatuor millia Eſſænorum tunc numeravit, quorum vitam Religioſam deſcribit in libro de ſtatu Eſſænorum. Vide Dandinum in Ethica ſacra lib. 44. cap. 5.

Infertur *44to.* Ergo Celibatus eſt laudabilis, ac poſſibilis: daturq; conſilium Evangelicum ad eum amplectendum. Quia Judex controverſiarũ S. Scriptura per Apoſt. Paulum 1. ad Corinth. cap. 7. decernit: *De Virginibus præceptum Domini non habeo, conſilium autem do &c: Solutus es ab uxore, noli quærere uxorem.* v. 27. *Dico autem non nuptis, & viduis, bonum eſt illis ſi ſic permaneant, ſicut & ego.* v. 8. *Qui non jungit (matrimonio virginem ſuam) meliùs facit. Ibid.* v. 38. Si enim Virginitas, & Celibatus non eſſet laudabilis, atq; poſſibilis, inutile, & ridiculum, immò abſurdum, & malum conſilium ad illum amplectendum dediſſet Apoſtolus. Falſoq; & erroneè, *ad id, quod honeſtum eſt.* v. 35. adhortatus fuiſſet. Divo Paulo in ipſa praxi adſtipulatus eſt S. Evangeliſta Marcus, qui teſte Philone Judæo jam ſuprà citato, in libro de vita contemplativa, id eſt Monachorum, inſtituit Alexandriæ Monaſteria ſacrarum virginum & virorum; qui continentiam (id eſt in celibatu caſtitatem) paupertatem, jejunia, ac pſalmodiam profitebantur.

Infertur *45to.* Ergo falſum eſt, Eccleſiam non habere poteſtatem indicendi certis diebus jejunia, etiam in perpetuum. Prob. Pap. cap. 28. Quia id Judex S. Scriptura nuſquam decernit. Nec ullibi hac poteſtate Eccleſiam privavit, poſtquam Chriſtus

Petro

Petro dixit: *Paſce Agnos meos, paſce oves meas.* Joan. 21. *Quidquid ligaveris ſuper terram, erit ligatum & in cœlo.* Matth. 16. Cum igitur conſuetudini jejunandi certis diebus, ac ipſam quadrageſimam ex præcepto Eccleſiæ tam antiquo, nam à tempore Apoſtolorum, ùt S. Hieronymus Epiſt. 56. ad Marcellam, S. Chryſologus, S. Ambroſius, & alij teſtantur, Lutheraniſmus contradicat, & ab ea ſe conetur abſolvere, oſtendat ex S. Scripturis, Eccleſiam non habere poteſtatem indicendi jejunia, & hanc conſuetudinem conſervandi, atq; à certis cibis ad tempus abſtinentiam indicendi, non ùt ex ſe malis, quemadmodùm docebant Manichæi, Ebionitæ, & Maronitæ, contra quos vaticinando ſcripſit Apoſtolus ad Timoth. 1. cap. 4. Sed ratione prohibitionis: æquè ac pomum arboris ſcientiæ boni & mali, peſſimum fuit Adamo, totiq; ipſius poſteritati, eſtò in ſe fuerit optimum: *Erat enim bonum ad veſcendum.* Genes. 3. Item ex eo: quia carni noſtræ, & appetitui magìs blandiuntur. Hinc ad tempus abſtinentia eorum indicitur, & alijs in qualitate, ſubſtantia, menſura, & præſcriptâ horâ veſci jubentur Chriſtiani, ut ſuam carnem aliquantum macerent, malas cupiditates frænent, & ſe eò magìs ſobriè ad futurum Paſcha, aut aliam ſolennitatem Chriſtianam præparent. Oſtendat Lutheraniſmus ex Scripturis S. non teneri Chriſtianos ad obedientiam Eccleſiæ præſtandam ratione præcepti jejunium indicentis. Quod ubi fecerit, ſe ipſum ſubruet, dum etiam ipſe ſuis aſſeclis certos quatuor dies per annum ante ſumptionem cœnæ indicit, quibus jejunare tenentur; alioſq; præcipit, quando Magiſtratui placet. Quo enim jure Lutheraniſmus hanc ſibi jurisdictionem uſurpat, quam Eccleſiæ Catholicæ ab Apoſtolis hucuſq; propagatæ, negat? Verùm antequam jus ſuum ex decreto Judicis controverſiarum proferat, à nobis ejuſdem ſententias accipiat, quibus ſubditis Eccleſiæ univerſaliter obedientiam imperat; &

consequenter eidem potestatem concedit, ea illis indicendi, quæ ad salutem ipsorum conductura judicabit. Hebr. c. 13. v. 17. *Obedite Præpositis vestris, & subjacete eis.* Et ne Lutheranismus hanc sententiam eludat per Præpositos sæcularem Magistratum contendens intelligendum: superiùs v. 7. occurrit, explicans, quinam sint illi Præpositi, nempe: *Qui vobis locuti sunt verbum DEI.* Præterea, Luc. c. 10. v. 16. ait Christus Apostolis, qui Præpositi, atq; Rectores Ecclesiæ futuri erant: *Qui vos audit, me audit: qui vos spernit, me spernit.* Adeò ut qui Ecclesiam non audit, seu illi non obedit, pro Ethnico, & publicano ipsius Christi decreto sit habendus Matth. 18. v. 17. Immò & jejunium corporale in Ecclesia Christiana futurum, clarè idem Salvator noster prædixit, quamvis eidem certum tempus non determinaverit, sed id Ecclesiæ, seu Præpositis determinandum reliquerit: *Venient, inquit, dies, cùm auferetur ab eis sponsus* (scilicet Christus à Discipulis) *& tunc jejunabunt.* Matth. c. 19. v. 15. Clara hæc sunt, neq; glossâ indigent.

Infertur *46to.* Ergo falsum est Ecclesiam Catholicam errare posse, & defactò in pluribus Fidei articulis errâsse. Quia illam Judex S. Scriptura nusquam erroris arguit: nusquam errandi potentiam suo effato agnoscit: nec ex ulla ejusdem sententia hoc Lutheranismi Dogma legitimè consequitur: *Ergo Ecclesia Catholica in aliquo, aut pluribus Fidei articulis decidendis erravit, & errare potest.* Neq; si inferatur constituet Dogma Fidei Lutheranismo: quia nusquam est revelatus nexus consequentis illati cum antecedente, ex quo infertur. In contra autem pro Ecclesia Catholica decernit Judex, dum ipsam appellat *Columnam, & firmamentum veritatis* 1. ad Timoth. c. 3. v. 13. Si enim errâsset, aut errare posset in articulo Fidei, hoc ipso non esset columna veritatis; nec firmaret veritatem. *Illi DEus promisit: Noli ti-*

li timere, quia non confunderis, neq; erubesces. Isaiæ 54. v. 4. Confunderetur autem, & erubesceret, si errare posset, & defactò errâsset. Præterea: *Portæ Inferi non prævalebunt adversus eam.* Matth. 16. Illi Christus promisit *Spiritum veritatis, qui eam docebit omnia, quæcunq; dixerit illi.* Ioan. c. 14. v. 26. Exhibeat Lutheranismus tam clarà, tam perspicua pro suo Dogmate, & tum de interpretatione eorum disquiremus.

Infertur *47mo.* Ergo non subsistit, visibilem Christi Ecclesiam, non habere caput visibile loco Christi in terra. Quia Judex controversiarum id nullibi definit. Estò enim affirmet, Christum esse caput Ecclesiæ (cui nemo Catholicorum contrariatur) certè hinc non infertur legitimè: *Ergo visibilis Ecclesia Christi non habet caput visibile in terra, locò Christi invisibilis, quod illam sensibiliter regat.* Nec idcirco biceps erit Ecclesia, si Christum invisibile caput in cœlo, quempiam verò loco ipsius visibilem hominem habeat in terra. Sicut non biceps est Regnum, quod in absentia Regis visibiliter habet Vice-Regem visibilem. Nec biceps est, ac monstrosa uxor Domini Prædicantis, quia caput illius est Christus, ac simul etiam excellens Dominus. *Vir enim est caput mulieris,* Paulo teste ad Ephes. 5. v. 23.

Infertur *48vo.* Ergo ruit Dogma Lutheranismi: Petrum non habuisse primatum, & jurisdictionem in Ecclesia, loco Christi in terra, ac inter reliquos Apostolos, qui in legitimos ipsius Successores derivetur. Quia Judex controversiarum nusquam illud definit. Cùm verò & Petrus, & legitimi ejus Successores in pacifica possessione primatûs fuerint, quidquid sit, quod alij quandoq; contra eosdem insurrexerint: hi enim illum non tollere, sed sibimet arrogare, aut suis clientibus cupiebant; necesse est, Judicis controversiarum claram, & perspicuam sententiam afferre, qua Lutheranismi Dogma demonstretur juxta Do-

gma I. Eſt enim articulus Fidei Lutheranæ: quia contra articulum Fidei Catholicæ. Interim oppoſitum ſatis clarè Judex enuntiat, dum ſoli Petro, claves Eccleſiæ tradit, Matth. c. 16. quæ apud omnes, non tantùm Eccleſiæ Doctores, ſed & Politiæ peritos, Primatum, & Regiminis juriſdictionem deſignant: dum eidem ſoli, *Oves, & Agnos paſcendos*, id eſt, ſecundùm S. Scripturæ phraſim *regendos*, committit: dum eundem ſecurum eſſe jubet de Fide ſua nunquam defectura: dum eidem fratres, ſeu reliquos Apoſtolos, atque Diſcipulos in fide confirmandos, commendat. Quæ prærogativæ, nulli alteri collatæ, quid præter ejus primatum, & ſupremam jurisdictionem indicant? Afferat ſimilia Lutheraniſmus pro aliis Apoſtolis ad probandam eorum cum Petro parem æqualitatem ſuperioritatis. Oſtendat deinde, ejus legitimos Succeſſores in Cathedra Romana, in qua ſedit, & vitam finivit, ùt tot Latini, Græcique Patres, & Hiſtorici teſtantur, non etiam in prærogativas, & primatum Eccleſiæ ſucceſſiſſe, quem tot ſæculis poſſederunt, tum plura dabimus, quæ Lutheraniſmi Dogma ſubvertent.

Infertur *4ᵗᵒ*. Ergo falſum eſt, Romanum Pontificem, legitimum Petri Succeſſorem, in decidendis Fidei dubiis æquè errare poſſe, ac alios homines. Quia Judex controverſiarum S. Scriptura id nuſquam decernit. Et profectò ſi eſt Succeſſor Petri, ùt ex unanimi Patrum conſenſu, & ex Catalogo Epiſcoporum Romanorum oſtenditur, ipſius quoque eſt: *Confirmare fratres in Fide. Paſcere Agnos & Oves Chriſti.* Malè autem illos confirmaret, ſi in Fidei rebus erraret: malè paſceret, ſi illos erronea doceret. Falleret nos promiſſum Chriſti: *Fidem Petri non defecturam.*

Infertur *5ᵗᵒ*. Ergo falſum eſt, Romanum Pontificem eſſe Anti-Chriſtum. Quia Judex controverſiarum nuſquam illi hunc infamem titulum decernit: quem tamen Lutheraniſmus tanto cona-

conatu eidem affingere satagit, ut libros suos controversos plerumq; hâc calumniâ infarciat, atq; denigret. Textus S. Scripturæ, quibus ad eam evincendam ex Daniele, Apocalypsi, Epistolis D. Pauli sacrilegè abutitur, nihil probant, præter ipsiusmet Lutheranismi subversionem. Cùm enim hunc Fidei suæ articulum conetur suis asseclis inprimis persuadere, eumque velit ab ipsis quàm firmissimè teneri, id non præstat, nisi per Scripturas allegoricas, Romano Pontifici ineptissimè applicatas, contra suúmmet axioma in Apologia confessionis Augustanæ, titulo de sacrificio Missæ: *Allegoriæ non pariunt firmas probationes.* Si ità est, quomodo ergo Lutheranismus meris allegoriis præsentem articulum firmiter suis persuasit? An non suo telo confossus ruit?

Infertur 5*imo*. Ergo Ministri, & Prædicantes Lutheranismi non sunt legitimè vocati, & instituti ad munus Prædicationis, & Sacramentorum administrationis obeundum. Id enim pro ipsis nusquam decernit Judex. A quo enim sunt vocati? A quo missi ad hoc munus administrandum? Ostendant claram Judicis controversiarum sententiam, Patrem eorum Lutherum habuisse legitimam potestatem Ministros, ac Prædicatores instituendi ad reformandam Christi Ecclesiam. Ostendant legitimam successionem ab Apostolis, ac eorum veris successoribus, à quibus solis Ministri, ac Prædicatores legitimè institui, ac procedere possunt. Ostendant ex eodem Judice, se habere potestatem, & jurisdictionem spiritualem ab ijs, qui illam non habent, nec habuerunt, ità ut illam etiam alijs impertiri possint, atq; potuerint. Quod quamdiu non demonstrant, tamdiu etiam dici poterit, Calvini, Socini, Arij, Mennonis, & cujusvis Novatoris, Emissarios, ac cætum, habuisse, & habere legitimam potestatem instituendi Ministros ad reformandam Ecclesiam: esseq; legitimos Reformatores ejus, Ministros Sacramentorum, atq; verbi DEI. Quid-

quid enim Lutheranorum Ministri pro se ex S. Scripturis afferent ad legitimandam vocationem, & firmandam institutionem suam, id totum pro se dicent Ministri Calvinistarum, Socianorum, Hugonottorum, Arianorum, atq; Admonitores Mennonistarum &c. Omnes enim isti asserent, se juxta sententiam Judicis, ac S. Scripturæ regulas vocatos, & institutos. Dicent spiritu Divino suos antesignanos, à quibus nomina hæreditârunt, non minùs quàm Lutherum ad reformationem Ecclesiæ, excitatos. Nec habebunt, quo ipsis os obturent, nisi Lutheri de se ipso, testimonio, quale etiam illi pro suis Patribus afferent.

Infertur 52do. Ergo Magistratus sæcularis non habet jurisdictionem in spirituales quà tales: nec habet potestatem judicandi de rebus Fidei controversis, easque decidendi. Quia Judex S. Scriptura nusquam eidem hanc jurisdictionem, ac potestatem concedit. Immò clarè decernit: Spiritualis autem judicat omnia: & ipse à nemine judicatur (intellige sæculari) 1. Corinth. c. 2. v. 15. Quod enim Lutheranismus affert ex Epistola ad Roman. c. 13. *Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit &c.* Seu, ùt hanc sententiam transfert ex Biblijs suis author Prob. Papatûs: *Unusquisq; subditus sit Magistratui, qui potestatem supra illum habet*: certè hinc non extrahet consequentiam ad spirituales quà tales. Nec unquam demonstrabit, hanc Epistolam ad spirituales, seu ad Clerum Romanum scriptam esse: sed ad reliquos fideles. Quomodo igitur illâ sententiâ vult simul comprehendi spirituales. Immò ex hac sententia ùt illam author Prob. Papatûs transtulit in Germanicum idioma, clarè patet, spirituales non esse subditos Magistratui sæculari: unde nullam potestatem in illos habet quà tales. Siquidem Apostoli effatum est: Unusquisque subditus sit Magistratui, qui potestatem supra illum habet. Ubi inter Magistratum distinctionem facit per ly *Qui*, di-

cens:

cens: *qui potestatem supra illum habet.* Nimirum sæcularis Magistratus, supra sæcularem: spiritualis supra spiritualem. Non enim dicit: Unusquisque subditus sit *Magistratui sæculari*, sed Magistratui, qui potestatem supra illum habet. Quasi diceret: Si sæcularis est, subditus sit sæculari Magistratui: si spiritualis, subditus sit spirituali. Sic autem Apostoli sententia multò magis pro, quàm contra spirituales militat. Hanc si Lutherus maturiùs consideràsset, Prædicantes Lutheranismi sui Magistratui sæculari non subjecisset, qui nunc sub ejus potestate frequenter gementes, frustra illius improvidentiam accusant. Præterea nec illud effatum S. Apostoli Petri I. Epist. cap. 2. v. 13. *Subditi estote igitur omni humanæ creaturæ propter Deum, sive Regi, quasi præcellenti, sive Ducibus &c.* Spirituales quà tales complectitur. Et estò tunc temporis subditi fuissent Magistratui sæculari ob rationes, quæ id in primitiva Ecclesia exigebant, tamen subjectio illa non fuit præcepti, sed consilij tantùm, à qua postea dum Ecclesia crevit, & majestate majore excelluit, ob reverentiam exempti sunt spirituales etiam in sæcularibus negotiis. Neq; exemplum primitivæ Ecclesiæ eos obligare potest ad similem subjectionem: aliàs etiam nunc infideles Reges, ethnicos Præcellentes, Potestates, seu Magistratus idola colentes, Christianis præesse, & imperare oporteret. Talibus enim tunc subditi erant fideles, quibus eos Apostolus vult subditos esse. Deinde, uterq; Apostolus vult Christianos sæculari Magistratui subjectos, & obedientes esse quò ad temporalia, & sæcularia duntaxat, non autem quò ad spiritualia, ut legenti ulteriora eorum scripta patet, & praxis primævæ Ecclesiæ ex pluribus Sanctis Patribus docet. Aliàs Magistratui ethnico fuissent obligati exhibere obedientiam, dum eos jubebat Idolis immolare, Christum negare &c. Tandem Magistratus idem ethnicus potuisset, & debuisset

de rebus Fidei controverſis, & alijs ad Religionem Chriſtianam pertinentibus judicare, decernere &c. Quod utiq; nullus ſanæ mentis Chriſtianus dicet. Judicâſſet enim de his, quæ ignorabat, & non percipiebat.

Infertur 53tio Ergo non dari Purgatorium falſum eſt. Quia illud Judex controverſiarum S. Scriptura nuſquam negat. Ubi enim hunc articulum Fidei Lutheranæ decidit: *Non datur Purgatorium*. Qui in clara revelatione Dei nempe in Scripturis ſacris debet eſſe fundatus; quia eſt contra articulum Fidei Catholicæ, contradictoriè ſibi oppoſitum. Hunc & ſimiles articulos, negativos tenetur Lutheraniſmus claris ſcripturis probare. Cùm enim hic, & alij oppoſiti articuli ejuſdem Dogmatibus per tot ſæcula fuerint Fide Divina crediti ab Eccleſia, illi incumbit clarè, & perſpicuè ex S. Scriptura oſtendere, eos non eſſe, nec unquam fuiſſe de Fide, ſed oppoſitos, quos ipſe credit. Nec nobis ſimilia negativa formet, quæ non credimus, ut ea ex Scripturis probemus. Quæcunq; enim excogitaverit, non ſunt de eorum numero, quorum oppoſita affirmativa aliquando Eccleſia Catholica ùt Fidei articulos credidit. Hinc non tenemur ex S. Scriptura præſertim, demonſtrare, rectè nos illa non credere. Aliter ſe res habet cum ijs, quæ Lutheraniſmus reſpuit credere, & oppoſita illis, ùt Fidei Divinæ dogmata amplectitur.

Infertur 54to. Ergo Lutheraniſmus errat, dum pro Defunctis neq; offert, neq; orat: immò utrumq; prohibet, atq; ridet. Quia Judex S. Scriptura decernit: *Offerri pro peccatis mortuorum ſacrificium* ... *Sanctam, & ſalubrem eſſe cogitationem pro defunctis exorare, ut à peccatis ſolvantur.* Lib. 2. Machab. cap. 12. v. 46. Et conſtat ex Verbis Chriſti, aliqua peccata remitti, in altero ſæculo, Matth. c. 12. v. 32. dum ait, quoddam peccatum, neq; in hoc, neque in altero ſæculo remittendum. Ergo ſupponit

nit alia quædam ibidem remitti.

Infertur tandem: Ergo ruit Dogma præfixum: sola sacra scriptura est Judex controversiarum Fidei. Quia hic ipse Judex nusquam illud clarâ, & perspicuâ sententiâ decernit: quod tamen juxta I. Dogma requiritur ad articulum Fidei, qualis est Dogma præsens. Idque maximè necessariò, quia est fundamentum totius Lutheranismi. Quomodo enim Fide Divina potest credere, solam Scripturam Sanctam esse Judicem in rebus Fidei controversis, nisi habeat sufficiens motivum credendi, quod solum, ac unicum est revelatio Divina: & quidem in sacris literis clarè, & perspicuè contentam, cùm aliam non scriptam, seu traditam ab Ecclesia, non recipiat: nec in hoc puncto jus ad illam habeat, utcunq; jam aliqui ejusdem asseclæ fateantur, se in hoc casu piæ antiquitati assentiri. Sententiæ, quas pro stabiliendo suo Dogmate Lutheranismus affert, evertunt Dogma primum. Sunt enim obscuræ: & cum consequentia, quam ex illis deducunt minimè connexæ. Quis enim ex illa Isaiæ c. 8. v. 20. *Ad legem magis, & ad testimonium*: aut ex illa Isaiæ c. 2. v. 4. *De Sion exibit lex, & verbum de Jerusalem, & judicabit gentes, & arguet populos multos*: aut ex illa Luc. 16. v. 29. *Habent Moysen & Prophetas, audiant illos*: aut ex illa Joan. 5. v. 39. *Scrutamini Scripturas*: aut ex illa Joan. 12. v. 48. *Sermo quem locutus sum, ille judicabit eum in novissimo die*: aut ex illa Hebr. c. 4. v. 12. *Vivus est sermo Dei, & efficax, & discretor cogitationum, & intentionum cordis*, quis inquam ex his, vel separatim, vel simul sumptis legitimè, & clarè inferet: *Ergo sola Scriptura S. est Judex controversiarum Fidei.* Alius enim est sensus allatarum sententiarum, quàm eis Lutheranismus affingit; qui truncatis illis aliquid profert, quod ad suum fucum faciat. Legantur citata capita, & longè aliud concludet prudens Lector. Isaias reprehendit Judæos,

quia Pithones, & Divinatores consulebant, nihil Divinæ legi consonum prædicantes. Hinc eos ad legem, & ad testimonium remittit, ut videant, quòd contra legem agant, quæ talia prohibet. Et quid hæc ad Judicem controversiarum Fidei? Idem Propheta vaticinans legem, & Verbum Dei de Jerusalem exiturum, gentesque judicaturum &c. intelligit novæ legis, ac Evangelij Prædicationem, non per modum Judicis, sed Normæ, seu Regulæ, juxta quam Christus per Vicarium suum in terris, controversias in rebus Fidei exortas decidet. Fratres Epulonis ad Moysen, & Prophetas remissi, non inferunt, in omnibus casibus ad scripturas recurrendum esse: sed in rebus tantùm clarè per S. Scripturas explicatis. Qualis casus fuit eorum, qui nimio luxui indulgebant, quem frequenter, & clarè scriptura rebarguit. Christus non remittit Judæos ad scrutandas scripturas in omni casu, sed in eo, de quo agebatur. Scilicet ut crederent, eum esse verum Messiam, indeque testimonium acciperent. Hinc eos non tanquam ad Judicem, sed tanquam ad testem remisit. Judex in novissimo die, non est Judex de quo nobis hìc est quæstio. Nec Paulus ad Hebræos loquitur de S. Scriptura, sed de Christo, qui est Verbum Dei, ùt patet ex sequente versu: *Et non est ulla creatura invisibilis in conspectu ejus: Omnia autem nuda, & aperta sunt oculis ejus, ad quem nobis sermo est.* Scriptura verò sacra non habet oculos, nec illam allocutus est S. Paulus. Beroënses, quos in exemplum universale adducit Lutheranismus ad S. Scripturam non ùt ad Judicem, sed ut ad Normam recurrebant. Videntes, an conformia essent Scripturis, quæ Apostoli docebant. Igitur hæ sententiæ ex Sacris Scrpturis, unà cum allato exemplo, non sunt ad fulciendum, sed ad evertendum Lutheranismi Dogma, quod ipsa S. Scriptura Judice ruit cum reliquis.

CON-

CONCLUSIO.

SIC hactenus contra se ipsum tela ministravit Lutheranismus, quibus arietatus ruat. Jam prolixior prælij mora admonet, ut respiremus. Vides ni fallor, si affectu seposito, spectator oculatus, ac prudens arbiter hujus conflictus es, quod ante congressum promisi: quàm scilicet suis Dogmatibus impiè sacram Scripturam devastet, quàm turpiter rectam rationem evertat, quàm fortiter semet ipsum demoliatur Lutheranismus. Quod si ità se habere comperis, quidni unà mecum Ter Optimo Numini, Hæresum Eversori, Orthodoxæ Ecclesiæ suæ Propugnatori, gratias agas. Et si ipse ruinis involutus gemis, de illis te quantocius in tutum transferas. Me verò, si intentum non satis assecutum existimas (ùt plerosque Lutheranismi etiam in ruinis Defensores, atque Fautores, saltèm ad extra simulaturos bene prævideo) meliora, fortioraque tela contra eundem vel de tuo, vel de Critici armamentario, libens præstolabor. Mihi sufficit, non pæana canere, sed exoptare: qui de alieno triumpho in hoc certamine, non minùs, quàm de propria palma exultabo. Id votis omnibus petens, ut in unitatem Orthodoxæ Fidei totus Orbis conspiret, & ex hac illis annumeretur, *qui stantes ante Thronum, & in conspectu Agni, amicti stolis albis, & palmæ in manibus eorum, clamant voce magna, dicentes: Salus DEO nostro, qui sedet super Thronum, & Agno.* Dicite omnes Cœli incolæ, Amen.



